MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80190-6

AUTHOR:

STEDEFELDT, HERMANN

TITLE:

DE LYSANDRI PLUTARCHEI FONTIBUS

PLACE:

BONNAE

DATE:

[1867]

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Stedefeldt, Hermann, 1844-
De Lysandri Plutarchei fontibus, dissertatio historica quam...scripsit et...publice defendet Hermannus Stedefeldt... Bonnae, formis Caroli Georgi, [1867]
58 p. 20½ cm.

Thesis, Bonn, 1867.

Volume of pamphlets

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE
LYSANDRI PLVTARCHEI FONTIBVS

DISSERTATIO HISTORICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE III MENSIS IVLII A. MDCCCLXVII

PVBLICE DEFENDET

HERMANNVS STEDEFELDT

SAXO-BORVSSVS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

CAROLVS ALDENHOVEN
FRIDERICVS MATZ
ERNESTVS DROYSEN

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI

ARNOLDO SCHAEFERO

PRAECEPTORI OPTIMO

I.

Cum perparvus ad nostram aetatem permanserit eorum veterum scriptorum numerus, qui, quas res ipsi viderunt, litteris mandarunt, ad historiam illorum temporum recte perspiciendam maxime id agamus oportet, ut fontibus, quibus posteriores scriptores usi sint, exploratis, de singulis rebus gestis, quae locupletiores illi testes perhibuerint, certis argumentis eruamus. Quemadmodum enim artis grammaticae peritissimi summum studium in eo collocant, ut comparatis nostrorum codicum lectionibus archetypi cuiusdam quam accuratissimam proponant imaginem, ita etiam in historia non acquiescendum est in scriptorum plurimorum consensu, sed, quatenus eis, quae exstant libris servata lateant aequalium testimonia, quaerendum. Neque tamen hoc ea, qua par erat diligentia adhuc curarunt viri docti. Quamquam enim tantum abest, ut prorsus orbata iaceat haec fontium indagandorum disciplina, ut fere de omnibus, qui ad nos pervenerunt scriptoribus disputatum sit, nihilominus, quem quoque loco auctorem singuli expresserint, fere nusquam constat. Quod mirum non est, siquidem viri docti omnes undique de eadem re narrationes studiose inter se comparare supersedentes, dum aetatem, ingenium scriptoris pensitaverint, quos auctores ipse laudet, collegerint, officio satisfecisse sibi visi sunt. Propterea, ne in idem vitium delabar, de Lysandri Plutarchei fontibus inquisituro non Plutarchus mihi solus curae erit, sed, quiqui de Lysandro aliquid memoriae prodiderunt, adsciscendi et quatenus huc pertinent, Diodori, Corneli Nepotis, Iustini, Pausaniae fontes perscrutandi erunt.

Et de Diodoro quidem scripsit Heynius [1]) sed is, quominus rem ad liquidum perduceret, iam eo prohibitus est, quod omnibus eis historicis Diodorum re vera usum esse putavit, quos, unde inceperint et quem ad finem opera pertexuerint, plurimos ultimis plerumque annis commemorat (cf. e. g. Diod. XII, 37 XIII, 42. 103 XIV, 46. 84 XV, 95 ect.). Accedit, quod universos fontes indicare satis habuit nec, quibus locis singuli sint expressi, accurate descripsit: quamquam aliter, ut quasi ab inferis excitentur perditorum scriptorum opera, fieri non potest. Quos Heynii errores cum intellegeret Cauerus [2]) non modo illam historicorum enumerationem, sed etiam, quae similibus locis de philosophis poetisve tradit Diodorus (cf. e. g. XIII, 103 XIV, 46 XV, 76 ect.) a reliqua rerum gestarum narratione ita separanda censuit, ut haec ex Apollodori συντάξει χρονικῇ, illam e catalogo quodam bibliothecae Alexandrinae fluxisse non sine iure contenderet (p. 43 sq.) [3]) Sed quamvis istam fontium farraginem Diodoro satis feliciter abiudicaverit, non tamen, quas probare possimus opiniones ipse protulit. Cum enim confugeret ad eos, quos re vera Diodorus laudat scriptores (e. g. XIV, 22) et iudicia, quae inde nactus esset, stabiliri putaret comparatis historicorum, imprimis Theopompi Ephorique reliquiis, eo processit, ut inde a libro XI solum Ephorum a Diodoro exscriptum esse sibi persuaderet: quam certe respuisset sententiam, si reliqua de eodem tempore testimonia adscivisset.

In Cornelium Nepotem inquisivit Wichersius [4])

---

1) Heyne, *de fontibus et auctoritate Diodori* in commentt. Soc. Gott. vol. V; iterum typis excussit L. Dindorfius, Diodori bibl. hist. Lips. 1828. vol. V, p. LIX.

2) Cauer, *de fontibus ad Agesilai historiam pertinentibus* Vrat. 1847.

3) Videtur haec Caueri commentatio latuisse Curtii diligentiam, cum (*Griech. Gesch.* III, 762) Dionysodorum et Anaxin a Diodoro adhibitos esse putet.

4) Wichers, *disquisitio critica de fontibus et auctoritate Cornelii Nepotis* Groningae 1828.

accuratus ille quidem nec tamen acuti et sani iudicii. Non enim, quibus auctoribus re vera usus sit Nepos, certa ratione evicit, sed omnes, qui nescio an adeundi fuerint curioso Augusteae aetatis scriptori, intempestiva diligentia congessit. Quare facere sane non potuit, quin veros quoque Nepotis fontes indicaret, sed quinam e tanta multitudine ei sint, nisi divinando assequi vix licet. Nepotem enim ne duos quidem, nedum plures fontes ita confundere potuisse, ut continua evaderet narratio, luculentis exemplis infra me spero demonstraturum esse.

Paullo melius de sola Alcibiadis vita iudicavit Wiggersius [1]) neque tamen ita, ut, quantillum sit Nepotis ingenium prorsus perspexerit.

Nipperdeius [2]) recte, quantum video, fontes Corneli enumerat, sed cum de singulis vitis iudicium ferre supersedeat, nobis singula quaeque examinaturis fructus inde nullus nascitur.

De Iustini vel potius Trogi Pompeii fontibus solus, quantum scio, disputavit Heerenius [3]) isque Trogum Theopompi imprimis vestigia pressisse recte conclusit, nec tamen in singulos locos accurate inquisivit.

De Pausania disseruit Koenigius [4]), cui miro casu accidit, ut, cum plurimos fontes nominet, eum scriptorem praetereat, quo ego periegetam usum esse crediderim, Ephorum.

Plutarcho melius consuluerunt viri docti. Post Heerenium [5]) enim, quem »neglegentius, quam par erat, hac

---

1) Wiggers, *de Cornelii Nepotis Alcibiade quaestt. critt. et histt.* Lips. 1833.

2) In Editione maiore Lips. 1849, p. XXI.

3) Heeren, *de fontibus et auctoritate Trogi Pompeii* in comm. soc. Gott. vol. XV, p. 234 et in Iustin. ex rec. Gronovii ed. Frotscher vol. I. Lips. 1827.

4) F. S. Chr. Koenig, *de Pausaniae fide et auctoritate.* Berol. 1832.

5) Heeren, *de fontibus et auct. vitt. parall. Plutarchi commentt. IV.* Gott. 1820.

provincia functum esse« suo iure existimavit C. Fr. Hermannus, paullo accuratius eius fontes excussit Mart. Haugius [1]), sed vel hic multum abest, ut nullum, in quem excurrat campum studio posteriorum reliquerit. Neque enim hanc amplissimam materiem paginis 98 consumi, Agesilai Lysandrique fontes pag. 2 describi posse, iam hac, quam instituturus sum, de solo Lysandro quaestione spero demonstratum iri. Quae res quantis sit impedita difficultatibus minime me fugit, sed nihilominus, si strictim vitarum fontes indicasse satis habemus, neque, quantum fieri potest, singula capita, quem habeant auctorem, investigare conamur, nullus inde ad historiam melius perspiciendam fructus redundare potest.

Atque in Plutarchi quidem auctoribus perscrutandis multo magis, quam fieri solet, distinguendum videtur inter duo fontium genera: alterum eorum scriptorum, quibus perlectis vitarum conscribendarum materiem sibi comparavit quibusque nititur eius continua narratio, alterum sententiarum e philosophis, poetis vel etiam historicis petitarum, quas, cum plurimas memoria teneret, suo loco inseruit. Quorum generum quod priore loco posuimus, cum eo solo elici possint ampliores operum deperditorum reliquiae, multo maioris esse momenti apparet, quam alterum, quod, si recte loquamur fontibus vix adnumeremus. Neque enim, si quis nostratium ad rem aliquam comprobandam Schilleri Goetheive versus afferat, eum hisce poetis fontibus usum esse dixeris. Primariis autem fontibus, quorum, si recte existimaveris de dictis illis insiticiis, parvus in unaquaque vita numerus restabit, Plutarchus non aliter usus est, ac qui praeter eum posteriore antiquitatis tempore opera historica consarcinaverunt. Eos enim arte coniungere, alterum altero supplere, si quae esset controversia, testimoniorum pondera examinare, quaeque reliqua sunt nostrorum historicorum officia nec potuit praestare, nec curavit. Quod si quando diversae de eadem re narrationes traditae essent aut simpliciter

1) Martin Haug, *die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der Griechen*, Tübingen 1854.

alteri alteram subicit ac deinde suum de eis iudicium profert — id quod fecit in prima parte Artaxerxis — aut, quo magis inter se differunt, eo ineptius eas conglutinat, cuius rei Lysander quoque nobis exempla praebebit. Neque tamen propterea de bona eius fide dubitandum videtur: voluit certe veritatem proferre neque quidquam eum, quin in fontibus suis inveniret, temere finxisse verisimile est. Ceterum quos ante oculos habuit scriptores nequaquam ubique eodem modo expressit, quare maxime caveamus oportet, ne, quam aliqua in parte rectam iudicandi viam ac rationem reppererimus, temere ad aliam transferamus. Cum enim illustrium virorum vitas sibi proposuisset conscribendas, facile intellegi potest, eo accuratius eum secutum esse opus aliquod historicum, quo maior in Graecis vel Romanis rebus illorum esset auctoritas. Quodsi Manso (*Sparta* III, 2, 13) iure suo Agesilao palmam defert inter vitas Plutarcheas, id mirum non est. Agesilaus enim fere per totum, quo regnavit tempus tantam vim habuit ad decernendum rerum Graecarum cursum, ut Plutarchus biographi officio non deesset, etiamsi maximas historiae alicuius Graecae partes tantum non integras in suum usum converteret. Praeterea hic unum praecipue scriptorem videtur consuluisse, qui factum est, ut illam confusionem, quam in diversis fontibus male conglutinatis positam esse diximus, feliciter evitaret.

II.

Haec ad adumbrandum universum Plutarchi ingenium sufficiant. Sed priusquam progrediar ad singulas Lysandri partes accuratius examinandas, ante omnia, *quae inde a pugna ad Aegos flumen commissa usque ad XXX virorum dominatum res gestae sint*, accuratius perscrutemur oportet. Neque enim adhuc recte de eis iudicasse viros doctos existimo, nec de fontibus sana potest quaestio institui, nisi de rerum gestarum ordine et conditione constet. Atque huius quidem temporis historia non dubium est quin niti debeat duobus fontibus primariis, Xenophontis historia Graeca et

eis, quae oratores,. imprimis Lysias passim de tristibus his mensibus in medium proferunt. Sed quamvis uterque tunc temporis Athenis fuisse et summam patriae calamitatem oculis vidisse censendus sit, nihilominus, quae de hac re litteris mandarunt quam maxime inter se differunt. Apud Xenophontem enim (h. G. II, 2, 3 sq.) cum primum cladis perniciosae nuntius Athenas venit, omnia summa industria ad arcendum hostem praeparantur. Ut maior evadat armatorum numerus omnes, qui aliqua capitis deminutione puniti erant, in integrum restituuntur nulloque partium studio omnia patriae saluti postponuntur. Quare, quamdiu cibus ad vitam cotidianam quovis modo sustentandam sufficit, nulla murorum naviumque tradendarum mentio inicitur, quin, ne id fiat plebiscito cavetur. Tandem, ubi infecta re redierunt legati de retinendis muris Piraeique munitionibus ad Agidem regem ephorosque missi Theramenes Lysandrum adit exploratum, »*πότερον ἐξανδραποδίσασθαι τὴν πόλιν βουλόμενοι ἀντέχουσι περὶ τῶν τειχῶν ἢ πίστεως ἕνεκα*« (Xen. h. G. II, 2, 16). Sed vel hunc quamvis optimatium factioni addictum quidquam perniciosi in patriam ultro molitum esse negat Xenophon, tantum exspectasse dicit, dum fame in dies crescente Athenienses ad desperationem acti quasvis pacis conditiones accipere parati essent. Per tres igitur menses apud ducem Spartanum commoratus tandem Athenas redit neque rationem se fefellisse magna vi hominum fame absumpta mox intellegit. Statim enim cum novem collegis »*πρεσβευτὴς αὐτοκράτωρ*« ad ephoros missus Spartae de notis illis pacis conditionibus agit, quae ut ratae fiant, postero die quam Athenas reversus est, frustra intercedentibus perpaucis evincit. Quae cum ita sint Lysander in Piraeum cum classe invectus exules reducit et adhibito tibicinum cantu cum summo sociorum gaudio murorum diruendorum facit initium (*κατέσκαπτον* ipf. Xen. h. G. II, 2, 23). »*Τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει, ἐπεὶ τάχιστα τὰ μακρὰ τείχη . . . καθῃρέθη*« (Xen. h. G. II, 3, 1 et 11) h. e. sequente belli anno secundum rationem Thucydideam [1]) XXX viris institutis

1) Cf. Aemil. H. O. Müller, *de Xenophontis historiae Graecae parte priore.* Lips. 1856. p. 8.

Agis exercitum dimittit, Lysander ad Samum oppugnandam avehitur.

Apud Xenophontem igitur, ut illae pacis conditiones accipiantur duabus caussis efficitur 1) quod Spartani in rebus gravissimis quidquam concedere Atheniensibus recusant 2) quod fame in dies crescente animi civium tandem fracti ac debilitati sunt; neque optimatium ulla fit mentio et Theramenes non tam ultro quidquam machinatur, quam, dum patria duabus illis caussis evertatur secure exspectat.

Cui relationi prorsus contraria sunt, quae Lysias c. Erat. § 43—47, 68—78 et c. Agor. § 5—36 de eodem tempore narrat. Quidquid enim mali urbs passa est, optimatium nefariis consiliis tribuens neque famem neque Lacedaemoniorum adversus Athenas animum unquam commemorat. Illi igitur »*ἐπειδὴ ἡ ναυμαχία καὶ ἡ συμφορὰ τῇ πόλει ἐγένετο*« (c. Erat. § 43) primum ephororum collegium instituunt, quod evertendae rei publicae officio summa industria fungatur. Tum Theramenes pacem se simulans impetraturum, qualem optimus quisque civium cupiat, frustra intercedentibus Areopagitis ad Lacedaemonios mittitur neque quidquam antiquius habet, quam ut hostium iram quovis modo exacerbet. Interea optimatium factio, ut Cleophon rei populari studiosus et acerrimus bonorum adversarius e medio tollatur, domi efficit. Deinde Theramenes, diu apud Spartanos commoratus, postquam ad acerbissima quaeque patriae imponenda eos permovit, Athenas redit nec tamen hanc pacem intellegit ratam factum iri, cum auditis conditionibus strategi et taxiarchi quidam acerrime in eum invehantur »*οὐδ', ὡς φασί τινες, οὐκ ἐπιθυμοῦντες εἰρήνην γίγνεσθαι, ἀλλὰ βουλόμενοι βελτίω ταύτης εἰρήνην τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων ποιήσασθαι*« (c. Agor. § 16). Quod non dubium est, quin illi re vera perfecissent, nisi per Agoratum ab optimatibus accusati in vincula coniecti essent. Tum demum omnibus adversariis remotis pacisque conditionibus acceptis populare imperium evertitur.

Qua in controversia fontium primariorum, quisquis nostra memoria de eo tempore scripsit, eo magis in Lysiae partes concedendum esse censuit, quo facilius explicari pos-

set, cur Xenophon Spartae laudator nec non optimatium fautor illas bonorum insidias silentio praeteriret. Quin ne acquieverunt quidem in Lysiae narratione. Cum enim ille nullo loco optimatibus id exprobret, quod, ut ἄτιμοι in integrum restituerentur pervicerint, illi hoc factum esse negant, ne qua intestina dissensio civitatem districtam teneret, neve quisquam esset, qui e summa patriae calamitate fructum perciperet, sed optimates hac lege lata id egisse contendunt, ut eos, qui capitis deminutione puniti erant, socios sibi adsciscerent.

Neque propter aliam caussam mirum est, viros doctos auditis utrimque testibus in hanc sententiam pedibus ivisse. Cum enim antiquae historiae studioso tum raro contingat, ut non facta solum videat, sed etiam eorum originem et quasi fontem penitus perspiciat, ambabus, ut aiunt, manibus Lysiam amplexi sunt, qui recondita plerumque nec Xenophonti memorata factionum studia nec opinato illustrare videatur. Quo gaudio obstupefacti et obcaecati, quae sit natura oratoris contra optimates exacerbati prorsus neglexerunt, ac, dum non solum in viros bonos invehantur, verum etiam in populares, maxime illos quidem Lysiae probatos officio historici a partium studio alieni se satisfacere putarunt. Quamquam vel propter id ipsum debebant accuratius inquirere in Lysiae indolem, quod de interpretanda eius narratione maxima inter viros doctos est dissensio neque quisquam adhuc ita de ea iudicavit, ut nihil, quo offendamur restet. Quae ut melius intellegantur, eorum sententias apponere lubet ita quidem dispositorum, ut missis Petero [1]) et Büttnero [2]) de solis Atheniensium ephoris disputantibus caeteri non chronologico sed logico ordine se excipiant.

Ac Lachmannus [3]) quidem in eo tempore describendo

1) Peter, *commentatio critica de Xenophontis Hellenicis.* Halis Saxonum 1837.

2) Büttner, *Geschichte der polit. Hetaerien in Athen.* Leipzig 1840.

3) Lachmann, *Geschichte Griechenlands vom Ende des Peloponn. Kriegs bis zur Schlacht von Mantinea.* Leipzig 1854. p. 34 sq.

tantum tribuit Lysiae, ut certissima reliquorum scriptorum testimonia, nisi conciliari possunt cum orationibus Lysiacis, fortiter respuere non dubitet. Qui fit, ut apud eum hic sit rerum gestarum quasi decursus. Post pugnam apud Aegos flumen commissam primum ephori ab optimatibus Athenis instituuntur. Interea Lysander, cum subiecisset excepta Samo omnes Atheniensium socios, tota classe Piraeum obsidet, Pausanias autem et Agis a terra urbem circumvallant. Postea, cum longior futura esse videatur oppugnatio, Pausanias exercitum dimittit (Diod. 13, 107) Lysander paucis navibus ad cingendos portus relictis, ipse maiore classis parte ad Samum oppugnandam avehitur. Interea Theramenes multa pollicitus (Lysias) a civibus impetrat, ut consilia Lacedaemoniorum exploraturus ad Lysandrum legetur (Xenophon). Unde postquam quarto mense rediit, iterum Spartam missus de pacis conditionibus agit. Sed eas postero die quam Athenas rediit, acceptas esse propterea Xenophonti non licet credere, quod pacis adversarios antea per Agoratum e medio sublatos esse testatur Lysias. Quo facto quamquam pax accipitur, tamen Lysander non statim, ut ait Xenophon, in Piraeum invehitur, sed tum demum, cum ad XXX viros instituendos omnia comparata sunt, a Theramene Athenas arcessitus naves comprehendit murosque delet, quos contra pacem intactos reliquisse non sine ira Atheniensibus obicit. »Postquam igitur, quae ad pacem spectarent, ordinata et quaedam fortasse acerbiora imposita sunt, de re publica constituenda contio habita est« [1]). Iam cum sub novis archontibus testentur Diod. 14, 3 et Xen. h. G. II, 3, 1 statim post muros dirutos addat Xen. h. G. II, 3, 11 institutos esse XXX viros, nulla fides habenda est Plutarcho, die XVI Munychionis Lysandrum Athenas venisse dicenti.

Non multum ab universa Lachmanni sententia differt Weissenbornius [2]). Cum autem facere non possit, quin

1) P. 49 *»Nachdem alles den Frieden Betreffende angeordnet und wohl noch manches Härtere auferlegt war, fand . . . die Volksversammlung über die künftige Verfassung statt.«* Verba ipsa affero, quod altera illa pax, quid sibi velit, parum intellego.

2) Weissenborn, *Hellen.* Jena 1844, p. 197.

set, cur Xenophon Spartae laudator nec non optimatium fautor illas bonorum insidias silentio praeteriret. Quin ne acquieverunt quidem in Lysiae narratione. Cum enim ille nullo loco optimatibus id exprobret, quod, ut ἄτιμοι in integrum restituerentur pervicerint, illi hoc factum esse negant, ne qua intestina dissensio civitatem districtam teneret, neve quisquam esset, qui e summa patriae calamitate fructum perciperet, sed optimates hac lege lata id egisse contendunt, ut eos, qui capitis deminutione puniti erant, socios sibi adsciscerent.

Neque propter aliam caussam mirum est, viros doctos auditis utrimque testibus in hanc sententiam pedibus ivisse. Cum enim antiquae historiae studioso tum raro contingat, ut non facta solum videat, sed etiam eorum originem et quasi fontem penitus perspiciat, ambabus, ut aiunt, manibus Lysiam amplexi sunt, qui recondita plerumque nec Xenophonti memorata factionum studia nec opinato illustrare videatur. Quo gaudio obstupefacti et obcaecati, quae sit natura oratoris contra optimates exacerbati prorsus neglexerunt, ac, dum non solum in viros bonos invehantur, verum etiam in populares, maxime illos quidem Lysiae probatos officio historici a partium studio alieni se satisfacere putarunt. Quamquam vel propter id ipsum debebant accuratius inquirere in Lysiae indolem, quod de interpretanda eius narratione maxima inter viros doctos est dissensio neque quisquam adhuc ita de ea iudicavit, ut nihil, quo offendamur restet. Quae ut melius intellegantur, eorum sententias apponere lubet ita quidem dispositorum, ut missis Petero [1]) et Büttnero [2]) de solis Atheniensium ephoris disputantibus caeteri non chronologico sed logico ordine se excipiant.

Ac Lachmannus [3]) quidem in eo tempore describendo

---

1) Peter, *commentatio critica de Xenophontis Hellenicis.* Halis Saxonum 1837.

2) Büttner, *Geschichte der polit. Hetaerien in Athen.* Leipzig 1840.

3) Lachmann, *Geschichte Griechenlands vom Ende des Peloponn. Kriegs bis zur Schlacht von Mantinea.* Leipzig 1854. p. 34 sq.

tantum tribuit Lysiae, ut certissima reliquorum scriptorum testimonia, nisi conciliari possunt cum orationibus Lysiacis, fortiter respuere non dubitet. Qui fit, ut apud eum hic sit rerum gestarum quasi decursus. Post pugnam apud Aegos flumen commissam primum ephori ab optimatibus Athenis instituuntur. Interea Lysander, cum subiecisset excepta Samo omnes Atheniensium socios, tota classe Piraeum obsidet, Pausanias autem et Agis a terra urbem circumvallant. Postea, cum longior futura esse videatur oppugnatio, Pausanias exercitum dimittit (Diod. 13, 107) Lysander paucis navibus ad cingendos portus relictis, ipse maiore classis parte ad Samum oppugnandam avehitur. Interea Theramenes multa pollicitus (Lysias) a civibus impetrat, ut consilia Lacedaemoniorum exploraturus ad Lysandrum legetur (Xenophon). Unde postquam quarto mense rediit, iterum Spartam missus de pacis conditionibus agit. Sed eas postero die quam Athenas rediit, acceptas esse propterea Xenophonti non licet credere, quod pacis adversarios antea per Agoratum e medio sublatos esse testatur Lysias. Quo facto quamquam pax accipitur, tamen Lysander non statim, ut ait Xenophon, in Piraeum invehitur, sed tum demum, cum ad XXX viros instituendos omnia comparata sunt, a Theramene Athenas arcessitus naves comprehendit murosque delet, quos contra pacem intactos reliquisse non sine ira Atheniensibus obicit. »Postquam igitur, quae ad pacem spectarent, ordinata et quaedam fortasse acerbiora imposita sunt, de re publica constituenda contio habita est« [1]). Iam cum sub novis archontibus testentur Diod. 14, 3 et Xen. h. G. II, 3, 1 statim post muros dirutos addat Xen. h. G. II, 3, 11 institutos esse XXX viros, nulla fides habenda est Plutarcho, die XVI Munychionis Lysandrum Athenas venisse dicenti.

Non multum ab universa Lachmanni sententia differt Weissenbornius [2]). Cum autem facere non possit, quin

---

1) P. 49 *»Nachdem alles den Frieden Betreffende angeordnet und wohl noch manches Härtere auferleg war, fand . . . die Volksversammlung über die künftige Verfassung statt.«* Verba ipsa affero, quod altera illa pax, quid sibi velit, parum intellego.

2) Weissenborn, *Hellen.* Jena 1844, p. 197.

et postero die, quam Theramenes Athenas venit, pacem ratam factam et die XVI Munychionis Lysandrum in Piraeum invectum pro certo habeat, paullo alia apud eum est temporis ratio. Quare iam medio mense Elaphebolione — h. e. post exactos illos XXVII annos, quos Thucydides V, 26 bellum Peloponnesium durasse dicit — pace facta commeatus in urbem invehendi potestas datur. Deinde ubi praetores illi optimatibus infesti in vincula coniecti sunt, Theramenes ad Lysandrum arcessendum Samum profectus simul terrestrem Lacedaemoniorum exercitum propius ad muros adducendum curat (Lysias c. Erat. § 71). Cum autem Lysander die XVI Munychionis advenisset, post moenia diruta altera fit contio »de interpretandis et exsequendis pacis conditionibus« [1]). Eadem contione XXX viri instituuntur neque tamen habetur illa quidem Munychione, quamvis remotis praetoribus nihil sit, quo prohibeatur popularis imperii interitus, sed caussis prorsus obscuris neque a Weissenbornio allatis usque ad Thargelionem vel Scirrophorionem retardatur. Quam ad comprobandam sententiam Weissenbornius verba τῷ ἐπιόντι ἔτει apud Xen. h. G. II, 3, 1 non ad annos archontum, sed ad belli annos secundum Thucydidis rationem referenda esse iure contendit.

Voemelius [2]) quoque pacem ante diem XVI Munychionis compositam esse volt, sed, ne desint pauci illi dies, quos XXVII annis l. l. Thucydides addit, die I demum Munychionis conditiones acceptas, die XVI autem moenia diruta esse statuit.

Quam rationem tam certis et perspicuis argumentis refutat Boeckhius [3]), ut ad eum delegare satis habeam. Caeterum multum disputatam illam de initio et fine XXX

1) P. 208 *»Ueber die Interpretation und Ausführung der Friedensbedingungen, von welcher der Abzug der Besatzung von Dekeleia abhängig gemacht worden war.«*

2) Voemel, *quo tempore bellum Peloponnesium finitum sit.* Progr. Francof. 1851.

3) Boeckh, *zur Geschichte der Mondcyklen der Hellenen.* Leipzig 1855. p. 80—82.

virorum dominatus quaestionem hic retractare nequaquam est in animo. Ea enim, quae nobis demonstranda proposuimus, satis certo nituntur fundamento, dummodo omnino aliquod interfuerit temporis spatium inter pacem et XXX virorum dominatum, id quod nulli viro docto nec dubium est, neque esse potest.

Paullo propius ad Xenophontem eoque ut mox videbimus ad veritatem accedit Sieversius [1]). Ille enim cum intellegeret neque cum scriptoribus convenire et repugnare universo antiquitatis mori ingenioque binas illas paces, quarum altera quasi iacta sint pacis fundamenta, altera accuratius definita, semel pacem compositam esse statimque Lysandrum in portum invectum esse recte statuit. Cum autem retinenda esse existimet, quae Xenophon de tempore pacis illius certissima tradat neque minus, quae Lysias de praetoribus ante eam accusatis videatur confirmare, contionem illam Munychiae habitam, qua praetores in vincula coniciuntur, facere non potest, quin eandem esse statuat atque eam, qua de pace deliberatum est. Tum Lysander Samum avectus postea teste Lysia per Theramenem ad XXX viros instituendos arcessitur. Tum demum sicut refert Plut. Lys. 15 moenia diruuntur.

Sieversio prorsus adstipulatur Thirlwallus [2]).

Omnium autem optime de hac re mihi videtur iudicasse Scheibeus [3]), qui non dubito quin veritatem prorsus assecutus esset, si Lysiacarum orationum indolem recte perspexisset. Ille enim primus recte distinxit inter tres contiones, quae a Lysia commemorentur: id quod probasse Weissenbornium supra vidimus.

Ac prima quidem contione, secundum Xenophontem postridie eius diei habita, quo Theramenes Athe-

1) Sievers, *commentationes de Xenophontis Hellenicis.* Berolini 1833. p. 42 cum notis.

2) Thirlwall, *history of Greece,* new edition. London 1847. vol. IV, p. 503 sq.

3) Scheibe, *die oligarchische Umwälzung zu Athen.* Leipzig 1841.

nas rediit, pax accipitur; non multo post Lysander a Samo, quam cum oppugnasse maxima classis parte cum Lachmanno statuit Scheibeus Athenas die XVI Munychionis reversus muros navesque sibi tradenda curat, deinde Samum oppugnare pergit. Interea subornato Agorato altera contione Munychiae habita praetores in vincula coniciuntur. Quare cum evertendo imperio populari iam nihil obstet, Lysander a Theramene arcessitus iterum Athenas petit, ac tum demum cum summo sociorum gaudio naves comburit murosque tibicinibus adcantantibus diruit. Tum tertia habetur contio, qua, lege a Dracontida lata XXX viri instituuntur.

Ephoros Athenienses, ut de eis quoque virorum doctorum sententias colligam, Büttnerus p. 88, Peterus p. 44, Sieversius p. 43 ab optimatibus institutos esse contendunt ad res ex eorum sententia gerendas, Scheibeus p. 35 N. 11 adstipulans C. Fr. Hermanno, *Staatsalt.* § 168, 1 Boeckhio, *Staatsh.* II, 252 publico munere eos functos esse credit. Utrosque consentaneum est ex eo loco argumenta petere, quo omnino solo de ephoris edocemur: Lys. c. Erat. § 43 sq.

De Curtio [1]), Rauchensteinio [2]), Frohbergero [3]) loqui supersedeo, cum in summa re Scheibeum sequantur. De solo ephororum collegio cum inter se differunt, tum a Scheibeo dissentiunt.

Sed quamquam Scheibeus plurimas quaestiones feliciter explicavit, tamen multum abest, ut omnes dubitationes removerit, imo ne cum Lysia quidem conciliari posse eius narrationem infra videbimus. Cur enim Lysander, ubi primum Athenas venit, naves sibi tradendas curaverit neque tamen statim combusserit, explicari nequit. Sed fac tanto studio properaverit ad Samum oppugnandam, ut eas intactas relinquere coactus sit, cur eas ne in tutiorem quidem locum comportaverit, etiam minus

1) Curtius, *Griechische Geschichte.* Berlin 1861. vol. II., 667 sq.

2) Rauchenstein, *ausgew. Reden d. Lysias* 4te Aufl. Berlin 1864. praef. p. 12 sq. cf. comment.

3) Frohberger, *ausgew. Reden d. Lysias.* Leipz. 1866. p. 101.

intellegitur. Quae cum ita sint, quin Athenienses fidem servaturos non esse praevidens eius criminis poenas repetere et XXX virorum dominatum solemniter inaugurare navibus deletis studuerit, non videtur dubium. Sed multo mirabilius est, quod Athenienses connivente Lysandro per totam aestatem [1]) ne minimam quidem dant operam, ut ea, quae de muris diruendis diserte pacta erant, exsequantur. Vix credas tantum sibi posse confidere victorem, qui post XXX demum annos summo periculo nec sine aliena pecunia adversarium perculerit. Accedit, quod Polyaenus I, 45, 5 auctor est Lysandrum, cum de rebus Atheniensibus Spartani deliberarent, urbem tamquam propugnaculum adversus Thebanos censuisse servandam. Neque propter ea, quae paullo post acciderunt, eum de fide sociorum iam tum dubitasse non verisimile est. Num igitur Lysander Piraeo capto ita obcaecatus et quasi intoxicatus est, ut illo timore liberatus nunquam rebellaturos neque cum Atheniensibus fortasse se coniuncturos esse socios crediderit! Quamdiu autem illi muros haberent, quibus se defenderent, nonne fieri potuit, ut belli felicius renovandi spem conciperent! Sane quin iterum devincerentur, vix dubium erat, sed certe nisi hominibus, pecunia, tempore insumptis id peragi nequiit, atque omnino quis putaverit tantum unquam fortunae dedisse ducem sapientem! Itaque facere non possumus, quin muros quoque a Lysandro servatos esse iudicemus ad XXX viros solemnius inaugurandos. Mirum sane, quod consiliis tragico more exsequendis tantum tribuit tam sobrius alias et prudens Spartiates [2])!

Neque communibus psychologiae legibus obnoxii viden-

1) Nam auctumno demum Lysander ad XXX viros instituendos revertitur secundum Scheibeum p. 55.

2) Thirlwallus p. 513 sq. cum haec parum verisimilia esse intellegeret, p. 168 Athenienses initium quidem putat fecisse murorum diruendorum, sed tempore constituto non defunctos esse officio tristissimo, Lysandrum igitur nihil nisi reliquias murorum delevisse. Sed vereor, ne ridiculum potius quam solemne praebuisset spectaculum, si cum tot caerimoniis ultimos muri semiruti lapides loco movisset.

tur, si Scheibeum sequaris, Spartani eorumque socii. Cum enim statim post rem feliciter peractam maxime laetari soleant homines, Spartanorum socii miram servant animi tranquillitatem. Non enim, ubi primum captae sunt Athenae, gaudio efferuntur, sed cum Lysander compluribus mensibus post iterum Athenas reversus muros navesque delet, tum demum cui tam diu fortiter restiterunt, gaudio indulgent.

III.

Hae fere sunt caussae, quae ad reiciendas Scheibei opiniones me permoverunt, tam simplices illae quidem, ut eas vix tam copiose exposuissem, nisi cum is, qui novissimo tempore de his rebus scripsit, Curtius Scheibei inventis tamquam fundamento narrationis niteretur, tum Grotius de controversis virorum doctorum sententiis disputare supersederet. Is [1]) enim, qua est plerumque iudicii sanitate, ad Xenophontis simplicem narrationem redeundum et omnia, quae de optimatium insidiis Lysias tradit — si discesseris a Cleophonte in vincula coniecto — intra captas Athenas et XXX viros institutos inserenda esse censuit. Certe nonnulla eorum post pacem acceptam facta esse iam Scheibeus intellexit, sed nihilominus cum omnibus, quos supra laudavi scriptoribus quin Lysias vera traderet, non dubitavit; Grotius autem in contrariam sententiam delapsus Lysiam ita contendit narrare caussam praetorum, ut consilio pervertat ordinem chronologicum. Quam opinionem licet falsam esse neminem possit fugere — vix enim coram tot hominibus, qui illa tempora viderant, ita res perturbare ausus sit prudens caussidicus — tamen ob id ipsum, quod primus omnino dubitavit de oratoris fide, plurimum Grotius mihi contulisse videtur ad Lysiam recte intellegendum. Equidem inter nimiam et Germanorum fiduciam et Britanni suspitionem hic quoque mediam viam elegerim. Lysias neque aperte per-

1) Grote, *history of Greece*. London 1850. vol. VIII, p. 300 sq.

vertit rerum ordinem neque sincero animo vera profert, sed *ita potius disponit omnia, quae inde a clade Hellespontia usque ad XXX virorum dominatum facta esse narrat, ut quae ante, quae post captas Athenas acciderint, nusquam certum sit et indubium.* Qua re quae voluerit efficere facile intellegitur. Non solum XXX virorum dominatus et eorum, quae inde originem traxerunt malorum culpam in Theramenem et Agoratum studuit conferre sed etiam ignominiosam illam pacem die XVI Munychionis compositam insontibus eis non sine veritatis specie vitio vertere conatus est. Quae ut probemus accuratius contemplemur oportet eas, quae huc pertinent Lysiacarum c. Agor. et c. Erat. orationum partes, unde etiam hoc, opinor, apparebit, cur alius alium esse rerum cursum e Lysia colligere potuerit.

c. Agoratum § 5 sq.

§ 9. Theramenes, si pax suo arbitrio tradatur concludenda, pollicetur »*ποιήσειν ὥςτε μήτε τῶν τειχῶν διελεῖν μήτε ἄλλο τὴν πόλιν ἐλαττῶσαι μηδέν.*« Spartam igitur re vera missus »*ἔμεινεν ἐκεῖ πολὺν χρόνον καταλιπὼν ὑμᾶς πολιορκουμένους*« (§ 11). Apparet hic dedita opera confundi duas legationes a Xenophonte illas quidem diserte distinctas, primum enim ille Theramenem solum refert ad Lysandrum legatum ibique diu commoratum esse, tum eundem cum novem collegis Spartam missum. Quodsi vera Lysias protulisset, sine dubio intellexissent iudices 1) Theramenem antequam ad Lacedaemonios mitteretur nihil promisisse civitati 2) neque pacis eum solum auctorem fuisse neque longae morae (quam tamen e Lysandrea legatione huc translatam esse patet) sed utriusque rei parem vel etiam maiorem culpam transferendam esse in novem eius collegas, populari caussae sine dubio illos quidem impensius addictos, quam ut orator rei publicae evertendae consilia eis imputare potuerit.

§ 12. Interea Cleophon acerrimus optimatium adversarius iudicio contra leges constituto e medio tollitur. Hac in narratione participio *ὑπομένοντες* Athenae nondum captae significantur, quod autem sequitur *ἐπιβουλεύοντες καταλῦσαι*

τὴν δημοκρατίαν nisi post pacem acceptam prorsus apte dici nequit, nam tum demum re vera populare imperium ab optimatibus evertebatur.

§ 13 sq. Ubi Theramenes Athenas rediit, Strombichides et Dionysodorus auditis pacis conditionibus non omnino quidem pacem reicere constituunt, sed has conditiones intolerabiles esse eisque everti populare imperium existimant (»οὐδ', ὥς φασί τινες οὐκ ἐπιθυμοῦντες εἰρήνην γίγνεσθαι, ἀλλὰ βουλόμενοι βελτίω ταύτης εἰρήνην τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων ποιήσασθαι«). Meliori igitur paci cum eos intentos videant Theramenes eiusque socii, loco movendos censent, »πρὶν τὴν ἐκκλησίαν [τὴν περὶ εἰρήνης] γίγνεσθαι« (§ 17). Theocritum igitur quendam subornant, qui nomen Agorati apud senatum deferat eumque magnae adversus optimates coniurationis participem et conscium esse contendat. Iam cum »ἡ βουλὴ ἡ πρὸ τῶν τριάκοντα βουλεύουσα διέφθαρτο καὶ ὀλιγαρχίας ἐπεθύμει« (§ 20) facile ut Agorati comprehendendi consilium capiat permovetur. Mittuntur igitur in Piraeum, qui eum in custodiam dent, sed Nicias et Nicomenes ne vitae discrimen per eum subeant veriti, pro eo spondent, ut interim in locum tutum abducant. Duabus igitur navibus praeparatis (»παρορμίσαντες δύο πλοῖα Μουνυχίασιν« § 25) una cum eo se avecturos esse promittunt, »ἕως τὰ πράγματα κατασταίη« (ib.) Agoratus autem eorum auxilium aspernatus paullo post comprehenditur et coniuratos senatui indicat. Quo facto plurimi quidem viri populares statim in vincula coniciuntur, strategi autem illi et taxiarchi antea in contione Munychiae habita ab Agorato denuo publice accusantur. »Ἐπειδὴ ἐκεῖνοι συλληφθέντες ἐδέθησαν, τότε καὶ ὁ Λύσανδρος εἰς τοὺς λιμένας τοὺς ὑμετέρους εἰσέπλευσε καὶ αἱ νῆες αἱ ὑμέτεραι Λακεδαιμονίοις παρεδόθησαν καὶ τὰ τείχη κατεσκάφη καὶ οἱ τριάκοντα κατέστησαν καὶ τί οὐ τῶν δεινῶν τῇ πόλει ἐγένετο;« (§ 34).

Quantam Germani rerum scriptores dederint operam, ut hanc narrationem minime perspicuam illustrent, supra vidimus neque tamen summam rerum hic iterum perstringere supervacaneum erit.

Ac W e i s s e n b o r n i u s quidem, cum voci εἰρήνη § 16 et 17 vim tribueret solitam, eo adductus est, ut duas se excepisse paces earumque post priorem et commeatus in urbem invehendi copiam datam et contionem illam Munychiae habitam esse statueret. Portubus enim obsidione clausis fieri non potuisse, ut aut omnino naves ad fugam praepararentur a Nicia et Nicomene aut certe quanta foret eius fugae audacia ab eis silentio tegeretur; neque praeterea, nisi de pace intellegantur, aptam praebere sententiam verba »ἕως τὰ πράγματα κατασταίη« ea tam sunt aperta, ut sapientem historicum effugere non possint. Quamquam hoc accidit S i e v e r s i o et T h i r l w a l l o, quorum e sententia in contione Munychiae habita etiam de pace supra viderimus deliberatum esse. Neque L a c h m a n n u s quamvis non unam, ut illi, sed duas, ut Weissenbornius paces statuit, his difficultatibus impeditus est, quominus caussam praetorum iam ante priorem pacem actam esse existimaret. Aliam interpretandi viam ingressus S c h e i b e u s p. 164 »τὴν ἐκκλησίαν τὴν περὶ τῆς εἰρήνης« § 17 eandem esse statuit atque eam, quae, »περὶ πολιτείας« appellari soleat; εἰρήνην autem § 16 veram esse pacem eique non privatim sed publice in ipsa illa contione, in qua de ea sit deliberatum, tam fortiter restitisse praetores e Lysia colligit. Quam opinionem non conciliari posse cum Lysiae verbis tam luculenter demonstravit Thirlwallus p. 503 sq. ut ad eum delegare satis habeam; sed nihilominus, si difficultates supra commemoratas respexeris, facere non poteris quin Scheibeum recte existimare saltem de contione § 17 concedas.

Quae cum ita sint, q u i n L y s i a s s i n c e r o a n i m o n a r r a r e n e g a n d u s s i t, n e h i c q u i d e m d u b i t a v e r i m. Etenim si esset inter »veraciores illos et diligentiores autores, qui et bonorum Lacedaemoniorum perfidiam et Xenophontis humilitatem manifestam facerent« (Sievers. p. 45—46) cur i p s a m d e p a c e c o n t i o n e m s i l e n t i o p r a e t e r i r e t, u t, q u a e a n t e q u a e p o s t c a p t a s A t h e n a s f a c t a e s s e n t, a p u d e u m n o n l i q u e r e t, intellegi profecto non posset. Imo aperte mentiretur, si re vera contionem περὶ πολιτείας nuncuparet περὶ εἰρήνης — nam eum bona fide commutasse has notiones, quae ut ingenue distingue-

rentur, maximi erat momenti ad culpam Agorati definiendam Scheibeo »credat Iudaeus Apella« — sed Frohbergerus p. 118 verba *τὴν περὶ τῆς εἰρήνης* § 17 recte interpolatori tribuit. Quamvis igitur callidior sit caussidicus, quam ut rerum naturam tam impudenter invertat, tamen quidquid tacendo effici potest, id efficere minime dedignatur. Sane, de qua loquatur contione non affert, sed cum antea pacis conditiones commemoraverit neque tamen de contione qua illae sint acceptae disseruerit facere vix possumus, quin *ἐκκλησίαν* paullo post commemoratam *τὴν περὶ τῆς εἰρήνης* fuisse existimemus. Quare ea ipsa mihi videtur addidisse interpolator, quae, ut a iudicibus intellegerentur Lysias efficere studuit.

Iam etiam de § 34 existimare possumus neque dubitabimus, quin hic simili consilio naves combustas, muros dirutos, XXX viros institutos, quasi haec omnia eodem tempore facta sint, una ut ita dicam imagine comprehendit. Ne hic quidem aliqua deest veritatis species. Nam ad XXX viros quoque instituendos Lysander in Piraeum invectus est, sed, si solemniter pronuntiet »*τότε καὶ ὁ Λύσανδρος εἰς τοὺς λιμένας τοὺς ὑμετέρους εἰςέπλευσε*« unumquemque iudicum cogitaturum esse de p r i m o Lysandri adventu, quo primum post hominum memoriam hostilem classem excepit Piraeus, orator callidus non sine caussa potuit sperare. Neque aliud voluit efficere § 46 »*ἔτι δὲ τὰ τείχη κτλ.*« qua de re fusius disputare supersedeo, cum ne Scheibeus quidem p. 56 N. 3 omnia illa simul facta esse sibi persuaserit, quae ibi simul commemorentur.

Simili modo nobis iudicandum erit de eis, quae huc spectant o r a t i o n i s c. E r a t. p a r t i b u s ac primum quidem d e § 43—48, ubi de ephoris agitur.

Statim in initio: »*ἐπειδὴ ἡ ναυμαχία καὶ ἡ συμφορὰ τῇ πόλει ἐγένετο*« quodnam tempus ab oratore significetur, ambiguum est. Aut enim usitatissimo loquendi genere *ἡ ναυμαχία καὶ ἡ συμφορά* ita intellegi possunt, ut sint *ἓν διὰ δυοῖν* »fatalis pugna navalis« aut separatis his duabus notionibus *ἡ συμφορά* referri potest ad pacem. Quarum interpretationum si mavis priorem, ephori statim post cladem constituti inter pacis ignominiosae auctores haberi possunt

— atque ita non solum Germani rerum scriptores haec verba intellexerunt, sed etiam ea sic intellectum iri sine dubio speravit Lysias — sin praefers posteriorem, ephoris post captam urbem institutis veritati consuluit orator.

Neque minus eorum, quae § 44 secuntur, anceps est sententia: »*οὕτως οὐχ ὑπὸ τῶν πολεμίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τούτων πολιτῶν ὄντων ἐπεβουλεύεσθε, ὅπως μήτ' ἀγαθὸν μηδὲν ψηφίσαισθε, πολλῶν τε ἐνδεεῖς ἔσεσθε*« ea nihil vetat quidem, quominus post captas Athenas facta esse Lysiamque vera proferre existimemus — Spartanos enim et optimates evertendo imperio populari tum intentos fuisse constat, — sed ita tamen comparata sunt verba, ut urbem etiamtum obsideri suspiceris. Porro verba § 46: »*καὶ ὑμᾶς ἡγοῦντο τῶν παρόντων κακῶν ἐπιθυμοῦντας ἀπαλλαγῆναι περὶ τῶν μελλόντων οὐκ ἐνθυμήσεσθαι*« possunt quidem intellegi de eo rerum statu, quo neque apud populum erat summa potestas, necdum XXX viri civitatem moderabantur: quae rei publicae perturbatio non dubium est, quin fere omnibus pessimo sed ordinato imperio intolerabilior visa sit; sed nihilominus, qui viderat mala e longinqua obsidione orta vix facere poterat, quin verba *τὰ παρόντα κακά* ad famis atrocitatem referret.

§ 68 sq.

Theramenes pacem se pollicetur impetraturum esse, qualem sine ignominia cives accipere possint, sed non modo non stat promisso, sed potius, ut acerbiores, quam ipsi antea voluerant, conditiones Atheniensibus imperarent Lacedaemonios commovet. »*Καὶ τὸ τελευταῖον*« § 71 pergit orator, non prius »*τὴν ἐκκλησίαν*« curavit convocandam, quam Lysandrum a Samo arcessivisset. Tum demum »*περὶ πολιτείας τὴν ἐκκλησίαν ἐποίουν,*« (§ 72) qua instituuntur XXX viri. A p p a r e t i g i t u r h i c q u o q u e L y s i a m s i l e n t i o p r a e t e r i r e e a m q u a p a x a c c i p i t u r, c o n t i o n e m, »*ἐκκλησίαν*« autem, qua de pace deliberatum iri exspectamus paullatim »*τὴν ἐκκλησίαν τὴν περὶ πολιτείας*« esse edocemur. Accedit quod hic quoque unius legationis fit mentio, quae quamvis nequeat esse, nisi quam Xenophon affert po-

steriorem, tamen cum priore id habet commune, quod novem Theramenis collegae ne hic quidem unquam commemorantur.

Eis, quae adhuc de Lysia disputavimus, id saltem nos assecutos esse confido, ut eius fide perspecta res, quas refert ipsas nec tamen temere illas quidem intellegamus in nostrum usum converti posse, ordinis autem chronologici, qualis apud eum aut est aut esse videtur, prorsus nullam esse auctoritatem. Ad hunc igitur definiendum delegamur ad Xenophontem et ad ea, quae caussis e rerum natura petitis conicere licet. Atque ita quidem feliciter mihi res videtur comparata, ut utraque via ad eundem quasi terminum ducamur. Post pugnam enim ad Aegos flumen commissam fieri non potuit, quin Athenienses, si non vitam et libertatem, at certe populare imperium agi eoque everso summam rerum apud exules fore intellegerent, neque quisquam de ea re dubitaret, etiamsi id non testaretur diserte Xenophon. Quae cum ita sint, num factioni hostibus intentae tum ullus, in quem excurreret, campus patuerit, valde dubito. Cum enim eam esse plurimis exemplis constet hominum indolem, ut populus turbulentis temporibus ad desperationem actus, qui sibi faveant, qui hostilia tentent, callidissime distinguat, capitis discrimen subituros fuisse optimates persuasum habeo, si vel minimam partem eorum exsequi studuissent, quae Lysias, nedum quae Germani rerum scriptores eos conatos esse contendunt. Neque ullam caussam invenio, quae eos ad haec audenda permovere potuerit. Quin enim Lacedaemonii tandem urbem expugnaturi eamque optimatibus tradituri essent, vix quisquam eorum dubitaverit. Quodsi ultro ad perdendam rem publicam coniurassent, iram civium eos inflammaturos neque tamen ullum inde ipsis fructum percepturos fuisse apertum est. Certe Theramenem, quamvis optimatium postea sectatorem bis constat ad Spartanos legatum fuisse, neque negaverim, quod Grotius VIII, 318 eum statuit hac occasione data cum exulibus egisse, quos rerum potituros esse sine dubio intellegeret; sed, qua erat animi mobilitate, vix crediderim inde probari tantam optimatium in ipsa urbe auctoritatem, quantam eis Lysias tribuit. Huic autem, quam facere non possumus, quin suspicemur, rerum conditioni, cum prorsus conveniant, quae Xenophon tradit, num iure suo tam acriter in eum invehantur viri docti maximopere dubitaverim. Neque cur tam acerbe Cleophontem perstringant, intellegere possum. Neque enim Xenophon eum unquam commemorat, neque eum paci concludendae tam diu solum restitisse ullo modo probabile est. Quodsi Curtius [1]) vituperat »ferocem illum contionatorem, qui insano furore agitatus patriae saluti obstruxerit neque tamen ipse ullum malorum remedium proferre potuerit«, vereor, ne nimis neglegat eam, quae in oppugnata urbe esse solet, animorum concitationem. Nullus enim dubito, quin paene tota civitas ea senserit, quae Cleophon eiusque socii pronuntiarunt [2]). Licet Lacedaemonii primo tempore paullo meliores pacis conditiones offerrent, cum semper id agerent, ut urbe a mari separata domi exulibus parerent Athenienses, foris in eundem detruderentur locum, quem tenerent caeteri Spartanorum socii, equidem eos non reprehenderim, qui ultima experiri, quam hanc patriae humilitatem videre maluerint.

Quae cum ita esse iudicem, optimates post captam demum urbem tam aperte studuisse evertendo imperio populari, iam a priori pro certo habuerim. Ac praetores quidem populares ab Agorato post pacem demum acceptam accusatos, iam, opinor, vix est, qui Scheibeum recte intellexisse neget. Ephoros autem eodem tempore constitutos neque publico munere functos esse mea sententia tam luculenter demonstravit Frohbergerus, Philol. 14, 320, ut de ea re prorsus nequeat dubitari. Quodsi Rauchensteinius, Philol. 15, 703 nihilominus statim post cladem ephororum collegium contendit esse institutum, ad eum refutan-

1) II, 674. *»Auf der einen Seite das Ungestüm eines wilden Demagogen, welcher in wahnsinniger Aufregung alle möglichen Rettungswege abschnitt, ohne selbst irgend eine Hülfe nachweisen zu können.«*

2) cf. ea, quae de oppugnatione Londonderriensi pulcherrime exponit Macaulaeus (hist. of Engl. IV, 141 sq. Tauchnitz) praesertim cum ibi tantum non antiquo more belligeratum sit.

dum cum ad Frohbergerum delego, tum ad ea, quae de eo, qui tunc fuerit, Atheniensium statu supra ipse disserui.

Restat igitur, ut eodem tempore etiam in Cleophontem animadversum demonstremus, id quod ante captas Athenas factum esse omnes, opinor, viri docti consentiunt [1]. Iam vero, cum ordinis chronologici, qualis est in Lysiae c. Agor. et Erat. orationibus nullam esse fidem supra demonstraverimus, confugiamus oportet ad orationem contra Nicomachum habitam, qua res § 10 - 15 ita narratur, ut verba ad Scheibei (p. 42 N. 45) interpretationem vix detorqueri possint. »*Ἐπειδὴ γὰρ ἀπολομένων τῶν νεῶν ἡ μετάστασις ἐπράττετο*« Cleophon dicitur § 10 senatum acerbe perstrinxisse. § 12 »*Σάτυρος καὶ Χρέμων οἱ τῶν τριάκοντα γενόμενοι*« eum accusarunt. § 14 Nicomachus, ne Cleophon a iudicibus absolveretur veritus legem aliquam tulit »*ἐν τοιούτῳ καιρῷ ἐν ᾧ ἡ πολιτεία μεθίστατο.*«

Apparet hic nisi gravissimis caussis nos commoveri non posse, ut § 10 non explicemus: eo tempore, quo mutabatur forma civitatis, sed: eo tempore, quo futurum erat ut mutaretur forma civitatis; § 12: qui (compluribus mensibus post) in numero XXX virorum erant; § 14 iterum: eo tempore, quo futurum erat, ut forma civitatis mutaretur. Nisi quis enim opinionibus ex orationibus c. Erat. et c. Agor. collectis ad hunc locum accesserit, illis verbis recte intellectis quin delegemur ad turbulentum illud temporis spatium, quod interest inter captas Athenas et institutos XXX viros, non dubitabit.

Caeterum de singulis illis rebus cum iam Scheibeus diligentissime omnia undique collegerit, hic fusius disputare supersedeo.

---

1) Praeter eos, quos laudavi etiam Meierus *de bonis dammatorum* p. 218 N. Herbstius *»die Schlacht bei den Arginusen«* p. 42 Cleophontem demonstrasse satis habet post ranas ab Aristophane doctas accusatum esse.

IV.

Sed nullam adhuc in hac re diiudicanda Plutarchi rationem habuimus, quamvis dubitari nequeat, quin Weissenbornius et Scheibeus, cum ille convenire videatur cum Lysia, inde suarum opinionum haud ita exiguum petierint argumentum. Plutarchus autem rem ita narrat:

(c. 13) Lysander post pugnam apud Aegos flumen commissam X deligit in unaquaque civitate quibus summum imperium committat. (c. 14) Tum, ubi se CC navibus adventurum esse Spartam nuntiavit, paullo post cum Agide et Pausania ad obsidendas Athenas se coniungit. Cum autem longinquae obsidionis eum taedeat (*ἐπεὶ δ' ἀντεῖχον οἱ Ἀθηναῖοι*) ad Asiam reversus Samum expugnat urbemque exulibus tradit, Sestum autem eiectis civibus gubernatoribus suis habitandam donat. Quae cum improbent ephori, hoc tamen gaudent omnes Graeci, quod Aeginam, Melum, Scionam antiquis incolis restituit. Interea cum Athenae summa inopia premantur, Lysander eo redit neque multo post auctore Theramene pax concluditur. (c. 15) Iam postquam Lysander die XVI Munychionis muros navesque accepit, »*ἐβούλευσεν εὐθὺς τὴν πολιτείαν μεταστῆσαι.*« Cui consilio cum resistant viri populares, vehementer in eos invectus, quod muros tempore constituto non diruerint, acerbiora — utpote dirempta pace — eis se impositurum esse minitatur. Iam »*ἔνιοί φασιν*« pergit Plutarchus, ut urbs solo aequaretur re vera postulasse Erianthum Thebanum, sed cum caeteri hoc nollent »*ἐνδόντων τῶν Ἀθηναίων πρὸς ἅπαντα*« Lysandrum tibicinibus adcantantibus combussisse naves murosque diruisse cum summo sociorum gaudio, qui hunc diem libertatis initium esse putarent. »*Εὐθύς*« igitur XXX in urbe, X in Piraeo instituuntur, penes quos potestas omnium rerum sit, Callibiusque Spartanorum militum praesidio Acropolim occupat.

Vix harum rerum prudentes moneam opus est, fieri non posse, ut hac perplexa et obscura Plutarchi narratione

stabiliantur, quae Lysiam tradere illi viri docti sibi persuaserunt. Imo fac Plutarchum ita, ut illa volunt adhibere possimus ad comprobandam et supplendam Lysiae relationem, tamen, cum eam ita comparatam esse viderimus, ut, si non omnino fides ei deneganda sit, at certe maximis difficultatibus impediatur, maxime caveamus oportet, ne eam narrationi Xenophonteae simplici illi quidem et cum rerum natura convenienti anteponamus. Sed omnino nullam esse in Plutarcho argumenti perpetuitatem miror non vidisse viros doctos, cum narrationem eius e diversis auctoribus male esse conflatam verbis *ἔνιοι δέ φασιν* tantum non aperte indicetur: id quod re vera ita se habere eis, quae iam disputaturus sum, me demonstraturum esse spero.

Iam vero Plutarchus in hac vita saepius Ephorum opponit Theopompo. Sic est in c. 17: »*καὶ Θεόπομπος μέν φησι Σκιραφίδαν, Ἔφορος δὲ Φλογίδαν εἶναι τὸν ἀποφηνάμενον,*« c. 30 Lysander pecunia corrumpi non potuit »*ὡς ἱστορεῖ Θεόπομπος . . . Χρόνῳ δὲ ὕστερον Ἔφορός φησι.*« Quodsi est in c. 20 »*ἦν μὲν γὰρ Ἔφορος*« *κτλ.* narrationem antecedentem ab Ephoro illam quidem diversam a Theopompo eum mutuatum esse eo magis suspiceris, quod eius apud Xenophontem nec vestigium exstat nec vola.

Videtur igitur Plutarchus ad hanc vitam conscribendam maxime usus esse Ephoro et Theopompo; quo enim iure Haugius non sine veri specie Xenophontem his fontibus addat, cum hanc saltem partem ad eum non esse referendam ex argumenti diversitate facile colligatur, infra quaeremus. Alios autem Plutarchum adiisse scriptores, e. g. Anaximenem Lampsacenum, vel quotquot res hoc tempore gestas memoriae tradiderunt, cum nullo indicio confirmetur, non putabit nisi inicus et imprudens harum rerum existimator. Iam nobis ab eo, quod tertio loco laudavi c. 20 proficiscendum erit. Haec autem ibi, cum antecedat Ephorum commemoratum, nescio an Theopompo vindicanda sit narratio (c. 19—20): Lysander cum eum ephori avocarent ab imperio Asiatico, ne propter crudelitatem puniretur veritus Pharnabazum adiit, ut ad ephoros testimonium sibi daret, quanta sanctitate bellum gessisset. Quod ille liberaliter

pollicitus callide, Spartano imprudente, similem subiecit librum, in quo eius avaritiam accusaret. Hunc autem cum se purgaturus ephoris tradidisset, mox se ipsum suum accusatorem fuisse intellexit. Petiit igitur, ut itineris ad Iovem Ammonem faciendi sibi venia daretur, »*ὥς ἔνιοί φασιν,*« quod re vera vota suscepit, »*τοῖς δὲ πλείστοις ἐδόκει*« hanc caussam interserere, quod tanta se existimans affectum esse iniuria, dum cives eius rei obliviscerentur, procul a patria vitam degere constituit. Iam quod apud Plutarchum sequitur: »*ἦν μὲν γὰρ Ἔφορος*« *κτλ.* interpretandum esse apparet: »Quamquam non omnes rerum scriptores hanc perhibent itineris caussam, inter quos Ephorus est, hunc enim aliter narrare infra videbimus.« Caeterum verba *ἔνιοι δέ φασι* non ad alios scriptores, sed ad hominum rumorem referenda esse, pensitato, quod eis opponitur, imperfecto: »*τοῖς δὲ πλείστοις ἐδόκει*« neminem opinor negaturum esse.

Cum non habeam, quo aptius de eo disseram locum, etiam c. 21 cur e Theopompo fluxisse existimem, hic afferre lubet. Ut enim hoc suspicer, primum me commovet, quod argumenti perpetuitate artissime cohaeret cum Theopompeo Lysandri itinere, tum quod abrogatam esse in urbibus X virorum potestatem Ephorum verisimile est alio loco tradidisse (cf. p. 43), denique quod hic laudibus effertur Lysander, cui vituperando Ephorum intentiorem fuisse mox apparebit.

Iam vero pars quaedam narrationis Theopompeae, Pharnabazi fraudem dico, etiam apud Cornelium Nepotem invenitur neque tamen eo, quo opus erat loco collocata, sed in fine vitae post Lysandri mortem ut ita dicam assuta. Unde vix me falli puto si concludam universam vitam ad alium referendam esse auctorem, quocum narratiunculam illam arte coniungere non potuit neglegens biographus. Hunc autem esse Ephorum c. 3 comprobatur seditiosis Lysandri consiliis, quae Ephorum tradidisse diserte testatur Plut. Lys. c. 25; c. 1—2 inde sequitur, quod verba Nepotis fere tota conveniunt cum Plut. Lys. c. 13, quo nullum praeter Ephorum et Theopompum scriptorem adhibitum esse supra vidimus:

Plut. Lys. 13.	Nepos Lys. 1—2.
1. *Καταλύων δὲ τοὺς δήμους καὶ τὰς ἄλλας πολιτείας ἕνα μὲν ἁρμοστὴν ἑκάστῃ Λακεδαιμόνιον κατέλιπε, δέκα δὲ ἄρχοντας.*	1. Namque undique qui Atheniensium rebus studuissent eiectis decem delegerat in unaquaque civitate, quibus summum imperium committeret.
2. *Τρόπον τινὰ ἑαυτῷ κατασκευαζόμενος τὴν τῆς Ἑλλάδος ἡγεμονίαν.*	2. Ita decemvirali potestate in omnibus urbibus instituta ipsius nutu omnia gerebantur.
3. *Οὔτε γὰρ ἀριστίνδην οὔτε πλουτίνδην ἐπεδείκνυε τοὺς ἄρχοντας, ἀλλ' ἑταιρείαις καὶ ξενίαις χαριζόμενος τὰ πράγματα.*	3. Horum in numero nemo admittebatur, nisi qui aut eius hospitio contineretur aut se illius fore proprium fide confirmarat.

Plutarchum igitur, nisi quod dictum aliquod Theopompi comici inseruit, c. 13 E p h o r o s e a d d i x i s s e certe inde a verbis supra laudatis demonstravimus. Quod enim Grotius (IX, 270 N. 1) Theodori Metochitae [1]) auctoritate innisus hoc fragmentum Theopompo historico vindicare studet, Plutarchum facere non potest, quin pro historico sumpsisse poetam iudicet: id quod, dum eum nobiscum Theopompo et Ephoro primariis fontibus usum esse credideris, parum veri simile est. Neque quidquam inde mihi videtur effici, quod Plutarchum non perspecta fragmenti sententia sine ullo iure in auctorem eius invehi demonstravit. Cur enim nisi ab historico vera proferri nequeant, equidem non intellego.

Iam vero c. 14 e T h e o p o m p o f l u x i s s e aliunde apparebit, quod tamen ut demonstrem paullo altius repetam oportet.

C o r n. N e p o t e m enim in A l c i b i a d i s v i t a conscribenda, cum c. 11 Timaeum, Theopompum, Thucydidem ipse

1) *ὑπομνήμ. καὶ σημειώσεις γνωμικαί* c. 116 p. 792 sq.; repetit Müller *fr. hist. Graec.* I, 333.

nominet neque tamen ullum Thucydideae originis indicium exstet [1]), Timaeo statuunt usum esse viri docti, quatenus Thucydides opus historicum pertexuerit; in sequentibus autem rebus eum Theopompi vestigia pressisse inde colligunt, quod ea, quae Alcibiadem ante pugnam ad Aegos flumen commissam Atheniensibus praecepisse refert Diod. 13, 105 prorsus conveniant cum Corn. Nepote (Alcib. 8); Theopompo autem usum esse Diodorum ex eis, quos 13, 42 laudet rerum scriptoribus concludi possit. (Wichers. p. 63. 84 Wiggers. p. 37) [2]). Sed cum Cauero praeeunte, unde repetierit Diodorus illam scriptorum multitudinem perspexerimus, prorsus de integro quaestio nobis instituenda erit.

Ac primum quidem, quin usque ad c. 11 u n u m scriptorem Nepos adhibuerit, propter argumenti perpetuitatem mihi non videtur esse dubium. Etenim non solum e vita Lysandri, quam supra examinavimus, sed etiam ex ipso Alcibiade, cuius in fine mores viri, iam initio illi quidem adumbrati secundum alium scriptorem iterum describantur, Corn. Nepotem duorum fontium arte coniungendorum prorsus imperitum fuisse luce clarius apparet [3]). Quodsi ille in Alcibiade Timaeum et Theopompum eo quo illi viri docti volunt modo secutus esset, fieri non posset, quin locum, quo alter alterum exciperet, sicut suturam male confectam primo oculorum obtutu conspiceremus. Iam in c. 1—10 si comparantur cum reliquis Corn. Nepotis vitis tria sunt, quae a solita eius consuetudine abhorreant.

1. Usque ad finem Thucydidis vita Alcibiadis vix meliorem apud Nepotem reppereris neque quae omnibus numeris sit perfectior. Non enim, ut e. g. in Lysandro statim in medias res rapimur, sed moribus Alcibiadis eleganter adum-

1) Nihilominus eo usum esse Nepotem statuit Wichersius p. 45.

2) Similiter ratiocinatur Wichersius *fragm. Theopompi* Lugd. Bat. 1829. p. 137 adstipulante Müllero fr. h. G. I, 279.

3) Eadem de caussa valde dubito, num adstipulandum sit Wichersio p. 56, Wiggersio p. 39 Nepotem ipsum, quod c. 2 commemorat Platonis convivium inspexisse iudicantibus. Mihi potius ei historico, quem omnino exscripsit, haec quoque videtur debere.

bratis de educatione eius accurate refertur nec non, quas res in Sicilia gesserit, perspicue narratur. 2. Prorsus aliter comparata sunt, quae tradit de eo temporis spatio quod interest inter finem Thucydidis et Alcibiadem Athenas reversum. Quamvis enim nunquam clarius et splendidius eluceat Alcibiadis ingenium, tamen hoc ipsum tempus officii sui prorsus oblitus perstringit magis verbis aliquot magnificis, quam describit Nepos. 3. Tum, postquam accuratius rettulit, quae Athenis gesserit Alcibiades rursus mutatur narrationis quasi color. Quamquam enim reversa ad eam, quam in prima parte observavimus prolixitatem, non tamen eandem retinet perspicuitatem, ita ut res prope Cumam gestae quomodo se haberent, vix intellegeremus, nisi Diodorum conferre possemus. Quibus recte pensitatis mihi non videtur dubium, quin *Theopompus in historia Graeca, cum Alcibiadem Athenas reverti commemoraret, eius vitam excursu quodam ampliore enarraverit.* Quo eum apparet de eis annis, qui non continerentur eius opere historico, h. e. usque ad finem Thucydidis fusius commentatum paucis verbis ea attigisse, quae ipse iam accuratius tradiderat. Talem enim digressionem si Nepotem exscripsisse statuimus, neque mira sunt, quae antea de prima et altera vitae Alcibiadis parte notavimus neque non intellegitur, cur tertia prioribus et obscurior sit et copiosior, siquidem hic simpliciter exscribere non licuit, sed e perpetua Theopompi narratione ea eligenda erant stolido scriptori, quae ad Alcibiadem pertinerent. Accedit quod Diodori neglegentia Graecum quoque huius digressionis initium servatum est.

Diod. 13, 68.	Nepos Alcib. 1.
θράσει γὰρ πολὺ διέφερε τῶν ἄλλων καὶ δεινότατος ἦν εἰπεῖν	disertus, ut imprimis dicendo valeret
καὶ κατὰ μὲν τὴν στρατείαν ἄριστος, κατὰ δὲ τὴν τόλμαν πρακτικώτατος·	ad omnes res aptus consiliique plenus, namque imperator fuit summus et mari et terra

ἦν δὲ καὶ τὴν ὄψιν καθ' ὑπερβολὴν εὐπρεπὴς	omnium aetatis suae multo formosissimus
καὶ τὴν ψυχὴν λαμπρὸς καὶ μεγαλεπίβολος.	splendidus non minus in vita quam victu.

Quamvis enim Diodoro copiosior sit Nepos tamen utrumque eodem fonte usum esse nemo, opinor, negabit.

Quae si recte disputavimus Theopompum in rebus scribendis apparet id egisse, ut si non meliora traderet prioribus historicis, at certe quodam modo ab eis differret. Vix enim videtur dubium, quin Thucydidem excursu illo emendare studuerit [1]; quamquam num ei successerit hoc negotium inquirere non est huius loci. Prorsus autem diversum fuisse Ephori ingenium infra me demonstraturum esse spero.

Neque minus hoc inde apparet, Diodorum et l. l. Theopompi vestigia pressisse et alioquin, si cum illo conveniat Corn. Nepos, Theopompeae originis nos firma habere documenta. Quamquam enim, cum Diodoro in duobus scriptoribus coniungendis non magis res succedat, quam Nepoti, si aliquo loco Theopompum ab eo adhibitum esse probaverimus, quatenus ille locus argumenti perpetuitate arte cohaeret cum sequentibus aut antecedentibus, neque ullus ut ita dicam narrationis hiatus apparet, eundem esse fontem non dubito contendere, nihilominus gratum erit et acceptum, si, quae hac ratione eruerimus, Nepotis vita confirmabuntur. Quae cum ita sint, *dubium esse non potest quin Diodorus inde a 13, 68 usque ad finem libri 13* — Si discesseris a rebus Siculis, quas non examinavi — *Theopompo usus sit*, id quod eis confirmari, quae Alcibiadem ante pugnam apud Aegos flumen commissam imperatoribus Atheniensium pollicitum esse uterque pari modo tradat, iam supra monuimus.

Caeterum, ut haec inseram, Diodoro copiosior est

---

1) Cum Hertzbergius (*Alcibiades als Staatsmann und Feldherr*, Halle 1853) accuratissime quibus locis Nepos a Thucydide differat, commemoret, ea hic repetere supervacaneum est.

Nepos, cum ea addat, quae Alcibiades iam discedens ad servandum exercitum necessaria esse iudicavit, quae tamen qualia fuerint, propter locum mendose scriptum recte intellegi nequeunt. Quod enim est Alcib. 8, 5 »Ab hoc discedens Alcibiades Quoniam, inquit, victoriae patriae repugnas, illud moneo, iuxta hostem castra habeas nautica ect.« verbis »iuxta hostem« aptam sententiam subicere vix possis. Athenienses enim propter id ipsum ad Aegos flumen, stationem ad victum comparandum minime idoneam naves appulerunt, ut quam proxime ad hostem accedentes nullam praeterirent occasionem, quin ei pugnandi copiam facerent. Quodsi vel propius ad eum accedere voluerunt, id aliter fieri non potuit, quam ut Hellespontum inspectante Lysandro transgressi in eodem litore iuxta Lacedaemonios castra ponerent. Hoc autem, qua de caussa Alcibiades prudentissimus rerum militarium existimator audendum esse censuerit, minime perspicuum est. Iam si hoc consilium ab ipso Nepote confectum esse statuimus — quae Nipperdeii videtur esse sententia — tam inepte loqui Alcibiadem nemo mirabitur, sin autem hoc loco Nepos Theopompum tantum non ad verbum interpretatus est — id quod mihi propter narrationis et perspicuitatem et prolixitatem vix videtur dubium — locum emendemus oportet. Neque eius medela difficilis est odoratu. Mutatione enim lenissima si pro »hostem« scripseris »Sestum« idem habebis neque imprudens illud quidem praeceptum, quod solum imperatoribus Atheniensibus Alcibiadem dedisse refert Xenophon.

Cum igitur c. 105 Theopompum secutus sit Diodorus, quin idem fecerit usque ad c. 107 vix videtur dubium, nisi quod c. 107 ad finem belli properans scriptoris narrationem maximopere contraxit. Ut igitur Theopompum sicut aedes destructas quasi reficiamus, Iustinus 5, 7—8 adhibendus est. Trogum Pompeium autem, cuius epitomatorem esse constat Iustinum Theopompi vestigia pressisse secundum ea, quae de eius ratione recte disseruit Heerenius, cum ubique verisimile est, donec aliter se rem habere luculenter demonstretur, tum hic colligitur c. 7 ex eis, quae de concitato post cladem Atheniensium animo Theopompea verborum pompa et ubertate traduntur, c. 8 e morte Alcibiadis, quippe quae, quamquam singulas res passim perturbavit neglegens epitomator, tamen universa et conveniat cum Nepote et differat ab Ephorea narratione, qualem eam exhibet Diod. 14, 11. Quodsi est apud Iustinum 5, 7 »ac tributarias Atheniensium civitates, quas metus dubiae belli fortunae in fide tenuerat, voluntarias recepit neque aliud dicionis Atheniensium praeter urbem ipsam reliquit« Theopompum conicere licet, priusquam Lysandrum Athenas navigasse rettulerit etiam Aeginam, Melum, Scionam expugnatas commemorasse. Adde quod eum accuratius descripsisse Athenienses, quomodo clade accepta se gesserit, supra vidimus; e c. 8 autem »Athenienses . . . pacem petivere, quae an dari deberet, diu inter Spartanos sociosque deliberatum est« eum non praeteriisse colligitur, quae Lacedaemonii eorumque socii de pace Atheniensibus danda disputaverint.

Iam vero si haec omnia Theopompo iure vindicavimus, quantopere cum eo conveniat Plut. Lys. c. 14 facile intellegitur. Ac primum quidem, si ab eo discesseris, quod Lysander primum Athenas obsidet, tum Samum expugnat, logico ordine res dispositas esse invenies. Primum enim Sestum capit, quo auctore Diodoro confugerunt, quotquot hostium superstites e maxima clade evaserant, tum Athenas petiturus Melo, Scionae, Aeginae priscos incolas restituit, denique pace conclusa in Piraeum invehitur. Deinde Plutarchum ephororum consultum e Theopompo petiisse, cum inde colligitur quod Diodorus et Iustinus, quamvis ipsa eius verba non afferant, tamen servaverunt inusitatum verbum σκέλη (Iust. 5, 8 muri brachia) — apud Xenophontem enim et oratores Atticos quantum scio ubique τείχη legitur — tum quod Diodori »τῶν δὲ πόλεων πασῶν ἐκχωρῆσαι« tantum non refert ipsa decreti verba »ἐκβάντες ἐκ πασῶν τῶν πόλεων.« Quod enim Diodorus cum XII afferre debeat, X naves affert (nisi cum Wesselingio δώδεκα pro δέκα scribere malis) id mirum non est, siquidem hic numerus non exstat in ipso decreto, sed ex eis, quae secuntur ei addendus erat. Denique Plutarchum hic Theopompo usum esse mihi videtur confirmari caussis, quibus ad afferenda ipsa decreti verba

se permotum esse dicit: »*Καίτοι Λακεδαιμονίων ἐστὶν ἀκοῦσαι λεγόντων, ὡς Λύσανδρος μὲν ἔγραψε τοῖς ἐφόροις τάδε· »Ἁλώκαντι ταὶ Ἀθᾶναι« Λυσάνδρῳ δ' ἀντέγραψαν οἱ ἔφοροι, »Ἀρκεῖ τό γε ἑαλώκειν« Ἀλλ' εὐπρεπείας χάριν οὗτος ὁ λόγος πέπλασται. Τὸ δ' ἀληθινὸν δόγμα τῶν ἐφόρων οὕτως εἶχε.*« Talia enim Theopompus fieri potuit, ut referentes audiret Lacedaemonios aut eorum filios, minime autem Plutarchus. Quocum si comparaveris c. 20, ubi verbis *ἔνιοι δέ φασιν* indicari hominum etiamtum vivorum rumorem supra vidimus, Theopompum refutandis communibus aequalium erroribus intentum fuisse probabilis erit coniectura. Accedit, quod Plutarchus et Diodorus commemorant Sestum expugnatam, quam praeterit Xenophon, praetereunt Chalcedonem et Byzantium, quas urbes captas testatur Xenophon. Quamquam enim neglegentium, quales sunt Plutarchus et Diodorus scriptorum eundem esse fontem non potest comprobari ex eis, quae uterque intacta reliquit, tamen cum c. 14 e Theopompo fluxisse certioribus argumentis iam constet, ne haec quidem indigna videntur memoratu.

Iam si his recte disputatis c. 14 ad Theopompum referendum est, c. 15 inde a verbis *ἔνιοι δέ φασιν* Ephoro vindicandum esse non est cur pluribus exsequar. Caeterum quod ea, quae de muris diruendis navibusque comburendis ibi traduntur, cum Xenophonte congruunt, id prorsus convenire cum Ephorei operis indole infra videbimus.

Iam ut in unam quasi imaginem comprehendam, quae de fontibus capitum XIII, XIV, XV docui, sic ea puto consarcinasse Plutarchum, ut, perlectis antea Theopompo Ephoroque, cum eos aut inter se differentes inveniret aut alterum altero plura narrantem neque tamen uni se prorsus addicere auderet, ambos, quatenus eos memoria tenuit coniungere studeret. Etenim si quoque loco ipsa illorum scriptorum verba inspexisset, non intellegeretur, cur et praeteriret res nonnullas, e. g. Spartanorum ante pacem Atheniensem deliberationes et vel plures perturbaret. Lysandrum enim, ubi primum Sestum expugnavit bello nondum confecto gubernatoribus urbem tradidisse nec mihi possum per-

suadere neque Theopompum ita narrasse apparet e Diodoro (13, 106) qui gubernatorum dimissorum nullam iniciat mentionem. De Samo autem usque ad captas Athenas Theopompum eadem rettulisse ac Xenophontem ipse docet Diodorus tantumque abest, ut Theopompus Lysandrum primum Athenas cinxisse, tum »*ἐπεὶ ἀντεῖχον οἱ Ἀθηναῖοι*« (Plut. 14) cum navibus in Asiam reversum expugnasse Samum, Sestum cet. narraverit ut Diod. 13, 107 ea diserte neget: »*Τοῖς δὲ Λακεδαιμονίοις ἔδοξεν, ἐπείπερ δυςχερὴς ἦν ἡ πολιορκία, τὰς μὲν δυνάμεις ἀπαγαγεῖν ἐκ τῆς Ἀττικῆς, ταῖς δὲ ναυσὶ μακρὰν ἐφεδρεύειν κτλ.*« Quo nescio an hoc quoque illustretur, qui factum sit, ut Plutarchus male coniunctis Ephorique Theopompique narrationibus, qualem exhibet, talem rerum gestarum ordinem fuisse sibi finxerit, mihi enim videntur biographo verba »*ἐπεὶ δ' ἀντεῖχον οἱ Ἀθηναῖοι*« conscribenti ante oculos versata esse, quae apud Diodorum i. e. apud Theopompum leguntur »*ἐπείπερ δυςχερὴς ἦν ἡ πολιορκία.*« Neque aliam rem hoc loco praetermittendam esse censeo. Mirum enim est, quod Plutarchus, cum Sestum captam esse statim post occisos Lampsaci captivos et veri simile sit et a Diod. 13, 106 tradatur, c. 13 ubi de captivis rettulit, Sestum commemorare supersedit. Atqui eum c. 13 Ephoro usum esse vidimus, nescio an Ephorus quoque praeteriisse Sestum iudicandus sit: hoc enim re vera facere constat Xenophontem, quocum saepenumero convenire Ephorum infra videbimus. Sestum igitur si addidit Theopompus aliqua ex parte intellegimus, cur Plutarchus in exscribendo Ephoro acquiscere noluerit. Sed, utut haec se habent, quin anteceperit Plutarchus, quae Sesto et Samo postea acciderunt, mihi non videtur dubium. Atque in Sestum quidem quando animadverterit Lysander, certius possemus iudicare nisi Diodorus, quae post XXX viros institutos Lysandrum gessisse rettulit Theopompus (quo tempore eum etiam a Pharnabazo falso sanctitatis testimonio instructum esse vidimus) ea omnia parum convenire ratus cum universae historiae indole omisisset [1]). Initio c. 15 non

---

1) Diodorum enim re vera solere omittere, quae ad singulos

dubito, quin etiam Theopompus inter captas Athenas et institutos XXX viros Samum a Lysandro oppugnatam esse inseruerit. Si enim, ut narrat Plutarchus, Lysander »εὐθύς« post pacem XXX viros instituisset, fieri non potuisset, ut Athenienses servatis, qui diruendi erant, muris pacem turbarent.

Quae autem Plutarchus verbis *ἔνιοι δέ φασιν* Spartanos sociosque de pace Atheniensibus danda deliberasse narrat, ea non post captas iam Athenas facta esse cum Plutarcho existimabimus neque denuo de pacis conditionibus Lacedaemonios disputasse apparet, id quod credunt Weissenbornius p. 205 Curtius II, 703 sed potius referenda sunt ad primam solamque de pace deliberationem. Plutarchus enim cum Ephorum non animadverteret de eisdem rebus referre, quas ipse secundum Theopompum iam narraverat, quae apud eum invenit, falso loco inseruit. Muros igitur a Lysandro dirutos esse Ephorum veri simile est statim post captam urbem narrasse. XXX viros autem constitutos et Spartanos milites in arce collocatos arte coniungenti Plutarcho nescio an ante oculos versatus sit orator quispiam Atticus, Lysiam enim eodem modo has res comprehendere supra vidimus (Lys. c. Agor. § 46).

Huc apponere lubet, quae ephoros eo loco scripsisse putem, ubi codd. praebent *ἃ χρὴ δόντες*. Ac Scheibeus (p. 44 N. 59) quidem et Sieversius (p. 93) servantes hanc lectionem diversa ratione eam explicant neque ullam mutationis caussam inde repeti posse, quod haec verba omnino intellegi non possint, eis concedendum est. Sed cum caetera omnia in hoc decreto tam clara sint et perspicua ut de eorum interpretatione dubitari prorsus nequeat, si quid inest ambigui — neque talem esse illorum verborum conditionem illi negant — iam propter id ipsum maximam

---

viros pertineant, inde apparet, quod Alcibiadis mortem secundum Ephorum fusius narraturus quasi veniam petit 14, 11: »*Τοῦ δ' Ἐφόρου δι' ἄλλας αἰτίας ἐπιβουλευθῆναι γεγραφότος οὐκ ἄχρηστον νομίζω παραθεῖναι τὴν παραδοθεῖσαν ὑπὸ τοῦ συγγραφέως ἐπιβουλὴν κατὰ τοῦ Ἀλκιβιάδου.*«

suspitionem movet. Emendandam igitur esse hanc decreti partem suo iure contendit peritissimus rerum grammaticarum existimator G. Hermannus (in Sintenis ed. Plut. maiori Lips. 1841, vol. II, 336). Neque tamen quod scripsit *αἲ χρῄδοιτε* ea praestat, quae hic postulamus. Cum enim ephori non modo obscuritatem evitent, sed etiam more Laconico adeo brevitati studeant, ut nihil omitti possit, vix probaverim coniecturam, qua tantummodo accuratius explicatur optativus *ἔχοιτε* neque quidquam novi additur. Accedit, quod parum commode sequitur participiale enuntiatum: »*καὶ τοὺς φυγάδας ἀνέντες.*« Quare comparato, quem iam Schneiderus laudavit Lysia c. Erat. § 68 »*ὑπέσχετο δὲ* (sc. *Θηραμένης*) *εἰρήνην ποιήσειν μήτε ὅμηρα δοὺς μήτε τὰ τείχη καθελὼν μήτε τὰς ναῦς παραδούς*« scribendum esse puto: *ὅμηρα δόντες*. Unde sit orta corruptela, non difficile est explicatu, si litteris maiusculis nullo verborum discrimine se excipientibus antiquos codices scriptos fuisse meminerimus. Postquam enim ante simillimum *Δ* (*δόντες*) excidit littera A antecedentis *ὅμηρα*, sequens librarius facillime fieri potuit, ut permutatis litteris *HP* (*PH*) leniterque mutatis prioribus *OM* (*ΑΧ*) *ἃ χρὴ* restitueret.

Quod autem Sieversius Schneidero opponit nusquam obsides commemorari id nullius momenti esse puto ad coniecturam reiciendam, si accuratius inquiramus, quid sibi velit illud »nusquam.« Certe Diodorus, quamvis et ipse Theopompo usus sit, obsides imperatos non affert, sed cum ne exulum quidem iniciat mentionem, eum, qua est neglegentia, verba »*ταῦτα κα δρῶτες τὰν εἰράναν ἔχοιτε*« finem decreti habuisse et sequentia praeteriisse veri simillimum est. Scriptorum igitur unus restat Xenophon, quem aliquas pacis conditiones omisisse inter omnes constat. Orator Lysias autem non solum commemorat obsides, sed ita commemorat, ut sibi ipse nocuisset, nisi vera protulisset. Quod enim c. Erat. § 68 ironice dicit Theramenes pacem se impetraturum pollicitus est »*μήτε ὅμηρα δοὺς μήτε τὰ τείχη καθελὼν μήτε τὰς ναῦς παραδούς*« iam ex ultimis duabus conditionibus apparet, eum hic nihil attulisse nisi quod pace cautum erat. Si enim obsides re vera non imperati essent,

Theramenes aliqua saltem ex parte ea praestitisset, quae promiserat neque esset cur Lysias tam acriter in eum inveheretur: quae orator efficere studuit, ea effici aperte non potuerunt, nisi omnia, quae afferret ephororum decreto continerentur.

Iam expositis quae sentiam de tribus Lysandri capitibus, ut redeam ad Germanos rerum scriptores duas res, quas illi afferunt, a Plutarcho quidem apparet narrari, sed non exstitisse in eius fontibus. Neque enim tum demum cum XXX viri instituti sunt, muros dirutos navesque combustas exhibuit Ephorus; et quod Peterus p. 46, Scheibeus p. 38 N *, Weissenbornius p. 203 N. 28 Curtius II, 675 Lysandrum paucis ad obsidendas Athenas navibus relictis ipsum Samum expugnasse credunt, id Plutarchi neglegentiae imputandum est. Accedit quod, si discesseris a Xenophonte et Diodoro, quorum alter eam rem non commemorat, alter diserte negat, ne caussis quidem e rerum natura petitis probari potest. Quamvis enim nostra aetate paucis navibus quivis portus facile claudatur, tamen caveamus oportet, ne telorum diversitate neglecta eundem numerum antiquo tempore suffecisse credamus. Quare non dubito quin ad amplos Athenarum portus plane cingendos CL navibus (cf. Xen. h. G. II, 2, 9) opus fuerit. Caeterum quod Scheibeus Plutarchum initio c. 15 repetere dicit, quam commemorant Diod. 13, 104 et ipse Plut. Lys. 9 Lysandream adversus Athenas expeditionem, eo non explicari Plutarchi confusionem vix monendum erit.

Itaque accurate pensitatis scriptorum testimoniis nec non rerum naturae ratione habita prorsus ea comprobo, quae Grotius inde a pugna ad Aegos flumen commissa usque ad XXX virorum dominatum facta esse felici iudicio intellexit neque tamen adhuc aliis probavit. Hoc tantum eum errasse puto, quod Cleophontem iam ante captam urbem in vincula coniectum esse existimavit.

V.

Priusquam ad examinandas reliquas Lysandri partes pergam, quos Plutarchus in Agesilai c. 3 et 6—20 fontes adhibuerit, accuratius inquirendum videtur. Atque Haugius quidem p. 36 de hac vita ita disserit: »Hic Plutarchus praecipue Xenophonte uti potuit, qui summis laudibus Agesilaum extollat. Neque tamen anxie eius vestigia pressit, sed omissis quibusdam, quae apud eum exstant, alia addidit, quae non exhibet [1]). Similiter de eo iudicat Hertzbergius in Agesilai p. 225. Ad examinandam autem hanc sententiam c. 3 et 6—20 propterea elegi, quod hic quin Haugius recte existimaverit, leviter tantummodo inquirenti vix dubium videatur. Primum igitur singula capita persequentes ea colligamus, quae Plutarchus Xenophontis historiae Graecae — eam enim huc solam spectare apparet — videtur addidisse.

c. 3 quomodo Agesilaus imperium adeptus sit, eodem modo narratur atque a Xen. h. G. III. 3, 1—4 ita tamen ut singulae res fusius explicentur. Sic Alcibiadis cum Timaea congressus accuratius secundum Duridem describitur, sed cum eadem eisdem fere verbis in Plutarchi Alcibiade c. 23 occurrant, nescio an hoc solum e c. 3 ad Duridem referendum sit. Accedit, quod Duridem veri similius est de Alcibiade fusius disseruisse, quam hanc historiae Spartanae partem tractasse. Porro Plutarchus addit ab Agide morituro Leotychidem legitimum filium esse agnitum.

c. 6 quae Agesilaus ad bellum cum Persis gerendum praeparaverit et quale fuerit eius sacrificium Aulidense similiter refertur atque a Xenophonte (h. G. III, 4, 1—4) sed cum quibus rebus rex ad illud sacrificium permotus sit, tum ipsum illud sacrificium accuratius describitur. Praeterea

1) *»Hier konnte Plutarch hauptsächlich den Xenophon den begeisterten Lobredner des Agesilaus benutzen. Er hat sich jedoch nicht streng an ihn gehalten, sondern manches aufgenommen, was er hat und manches weggelassen, was er nicht hat.«*

a Graecis Asiaticis petitum esse, ut Agesilao mandaretur bellum gerendum, Plutarchus addit.

c. 7—8 quomodo Lysander in Asia se gesserit quasque Agesilaus ab eo poenas repetierit eodem modo narrat Xen. h. G. III, 4, 7—11 omittit autem, quae Agesilaus de Lysandro acerbe dixerit: »*Νῦν οὖν θεραπευέτωσαν οὗτοι ἀπιόντες τὸν ἐμὸν κρεοδαίτην.*« Praeterea de consiliis, quae ad tollendos reges Lacedaemonios iratus Lysander inierit a solo Plutarcho edocemur, ea autem eodem modo Ephorum narrasse apparet e Plut. Lys. c. 25.

c. 9—10 respondent Xen. h. G. III, 4, 11 sq., nisi quod addit Plutarchus et Agesilai, cum captivi Persici venirent, facetias: »*οὗτοι μὲν οἷς μάχεσθε, ταῦτα δὲ ὑπὲρ ὧν μάχεσθε*« et Theopompi aliquod dictum, quem nominatim laudat.

c. 11 ita respondet Xen. h. G. IV, 1, 1—28, ut eo solo differant ambo auctores, quod Plutarchus Kotyn, Xenophon Otyn nominat regem Paphlagonum. In fine capitis Plutarchus addit, quanto amore Megabati, Spithridatis filii exarserit Agesilaus, qua de re cf. Pseudo-Xenophontis Ages. 5.

c. 12—13 omnium simillima sunt Xenophonti (h. G. IV, 1, 29—41). Nam hic quoque scriptorum differentia in aliquo nomine proprio posita est, quod apud Plutarchum *Ἀδαῖος*, apud Xenophontem *Ἰδαῖος* scriptum exstat. In fine c. 13 quomodo Agesilaus adversus amicos suos se gesserit, duobus exemplis illustratur, quorum posterius ex Hieronymo philosopho se petiisse diserte testatur Plutarchus.

c. 14 pauca tantum inveniuntur apud Xen. h. G. IV, 1, 41. Maxima capitis pars non exstat in Xenoph. h. G., cf. tamen Pseudo-Xenoph. Ages. 5.

c. 15 huc apparet non spectare nisi usque ad verba »*ὦ βάρβαρ' κτλ.*«, quae autem hic Agesilaus cepisse dicitur Susa et Ecbatana expugnandi consilia, a Xenophonte non commemorantur. Reliqua capitis parte Plutarchus fontes suos adhibuisse propterea non potest, quod Agesilaus ex Asia reversus comparatur cum Hannibale ad defendendam patriam ex Italia revocato.

c. 16 omnium minime respondet Xenophonti (h. G. IV, 2, 3—9 et 3, 1—9). Xenophon enim neque infestos Spartanis Tralles devictos nec Xenoclem et Scythem Agesilai legatos a Larissensibus in custodiam datos esse narrat. Accedit, quod Agesilaus, cum Athenienses eorumque socios apud Corinthum superatos esse audiret, apud Xenophontem prorsus aliter excipit nuntium atque apud Plutarchum. Cum enim Xenophon eum narret summo gaudio elatum Dercylidae mandasse, ut victoriam urbibus Asiaticis nuntiaret, quae Spartanos militibus adiuvassent neque aliter se gerat atque exspectamus verum Spartiatam, apud Plutarchum tot viros, qui coniuncti Persas devincere potuerint, civili bello consumptos esse ita conqueritur: »*φεῦ τῆς Ἑλλάδος τοσούτους ἄνδρας ἀπολωλεκυίας ὑφ' αὑτῆς, ὅσοι ζῶντες ἐδύναντο νικᾶν ὁμοῦ σύμπαντας τοὺς βαρβάρους μαχόμενοι.*«

c. 17 quamvis magis accedat ad similitudinem Xen. h. G. IV, 3, 9—15, tamen hoc habet novi, quod et ephori Diphridam mittunt, qui Agesilaum in Boeotiam invadere iubeat et L nobiles adulescentes Spartani regi auxilio veniunt. Accedit quod Agesilaus apud Plutarchum adsciscit duas moras »*τῶν περὶ Κόρινθον στρατευομένων,*« apud Xenophontem unam et dimidiam alterius partem ex Orchomeno.

c. 18 non solum fere totum convenit cum Xen. h. G. IV, 3, 15—20 verum etiam in eo laudatur ipse Xenophon, qui pugnam Coronensem fuisse »*οἵαν οὐκ ἄλλην τῶν πώποτε*« dixerit. Nihilominus hic quoque Xenophontem nescire apparet, quae gesserint L illi nobiles adulescentes, cum eos ne advenisse quidem narraverit.

c. 19 respondet Xen. h. G. IV, 3, 20—21, sed solus Plutarchus addit primum aedes, quo post pugnam pars hostium confugerit Minervae Itoniae fuisse et ante eas stetisse tropaeum a Boeotiis erectum propter victoriam a Tolmide reportatam. Deinde Pythia esse Delphis celebrata, cum Agesilaus vulnerum curandorum caussa eo venit. Denique Plutarchus domesticam Agesilai vitam aliquot exemplis illustrat, quae unde hauserit passim adnotat. Sic quale fuerit *κάναθρον* filiae Agesilai e Xenophonte (Ages. 8, 7) didicit; ut uxoris et filiarum regis nomina possit afferre *ἀναγραφὰς Λακωνικάς* consuluit. Atque hac quidem in re

non sine quadam sui admiratione ea nomina se eruisse commemorat, quae ignota esse Dicaearchus maximopere conqueratur.

c. 20 nihil invenitur in Xenophontis historia Graeca. Cyniscam autem Agesilai filiam Olympiae curru vicisse affert Pseudo-Xenoph. Ages. 9, 6 quaeque de domo Lysandri post eius mortem perquisita narrat, ex Ephoro desumpsisse Plutarchum docet Lys. c. 30.

Haec omnia, quae Plutarchus aut addidisse videtur Xenophonti aut aliter atque ille narrare, si Xenophontis historia Graeca usus est fonte primario satis multae caussae sunt, cur miremur. Ac primum quidem cur tanta sit eius in laudandis scriptoribus inconstantia. Cum enim saepius in rebus exiguis, quas ipse narrationi inserit nequaquam auctorem afferre supersedeat, quemadmodum c. 3. Duridem, c. 13 Hieronymum, c. 19 Xenophontem et *ἀναγραφὰς Λακωνικάς* ab eo laudari vidimus, mirum est, quod ab hac consuetudine discedit in rebus gravissimis. Seditiosa enim Lysandri consilia et, cum mortuus sit, talis criminis inventa in eius domo documenta unde repetiisset, nesciremus, nisi in vita Lysandri earundem rerum testem diserte commemoraret Ephorum. Quod autem templum illud, quo confugerunt hostes post pugnam Coronensem fusius describit, id Plutarchum in Boeotia natum ipsum addidisse suspicaremur, nisi intellegeretur e c. 19 (ubi nomina uxoris Agesilai filiarumque affert) quam diligenter ea commemorare soleret, quae ipse ad antiquitatem accuratius cognoscendam sibi contulisse visus est. Sed praecipue, cum eorum quae addit nonnulla e Pseudo-Xenophontis Agesilao hausisse videatur — id quod re vera existimant Haugius et Hertzbergius — e. g. c. 11 Agesilai ergo Megabatum animum ex Ages. c. 5, c. 14 simplicis Agesilai vitae exempla ex Ages. 5, 1—4, c. 20 Olympiam Cyniscae victoriam ex Ages. 9, 6 mirum est, quod hic Xenophontem nominare omittit, quem c. 20 diserte laudet, neque unquam Xenophontem eundem esse scriptorem commemorat, quo fonte primario utatur. Omnia haec autem eo magis miremur oportet, quod, cum Plutarchum appareat scriptoris, quem secutus est, paene ipsa verba in

suum librum transscripsisse neque res, quatenus memoria tenuit litteris mandasse, fieri non potuit, ut compluribus historicis antea perlectis, quae exstarent in fonte primario, quae aliunde repetiisset hic illuc nesciret.

Sed vel mirabilius est, quod tam artificiose hic Plutarchus ea, quae addidit, cum universa narratione coniunxit, ut eundem scriptorem tam misere consarcinasse tria illa Lysandri capita, quae supra examinavimus, nemo crediderit. Sic ut taceam oraculum c. 3, facetias c. 8 et 9, Agesilai ergo Megabatum amorem c. 11, consilia Susa capiendi c. 15, adventum Diphridae c. 17, quae quamvis facile inseri potuerint, tamen profecto multo melius inserta sunt, quam maxima eorum pars, quae se ex aliis scriptoribus petiisse diserte testatur: certe Agidis morituri declarationem c. 3, sacrificium fusius descriptum c. 6, seditiosa Lysandri consilia c. 8. Tralles devictos, Xenoclem et Scythem Larissam legatos c. 16, praecipue autem res a L adulescentibus in pugna Coronensi gestas, c. 18 tam arte cum universa narratione coniunxit Plutarchus, quam ab optimis et antiquitatis et nostrae aetatis scriptoribus fieri solet. Hic enim neque tali modo res perturbat, quali in Lysandro c. 13—15 neque tam longus est in enumerandis scriptorum testimoniis quam in Artaxerxe; quamquam e Plutarchi consuetudine imprimis c. 18 ubi laudat Xenophontem eum commemoraturum esse exspectas, unde hauserit res a L adulescentibus gestas, quas Xenophon prorsus praeterit. Sed summa laude dignus est Plutarchus, si quae c. 14 historiae Graecae addit e Pseudo-Xenophontis Agesilao petiisse cum Hertzbergio et Haugio iudicandus est. Cum enim Pseudo-Xenophon haec simplicis Agesilai vitae exempla in virtutum illum quasi catalogum inseruisse satis habeat, Plutarchus eis historici, ut ita dicam, pragmatici more utitur, nam non solum inde ortum esse narrat secundum, quo Agesilàus in superioribus provinciis celebretur rumorem, sed etiam Graecos Asiaticos gavisos esse, quod satrapae superbi alias et arrogantes tam simplicem virum adulentur felicissime adiungit. Sed multo minus intellegimus, ut taceam nomina c. 11 et 13 diverso modo scripta, qui fieri potuerit, ut Plutarchus nuntio victo-

riae Corinthiae accepto non gavisum esse dicat secundum Xenophontis historiam Graecam, sed de Graecia, quae fraterno amore coniuncta esse deberet, civili bello dilacerata conquestum esse exhibeat regem secundum Pseudo-Xenophontis Agesilaum, neque tamen aut caussam afferat, cur hanc narrationem illi anteponat, id quod totiens facit in Artaxerxe, aut eundem scriptorem tam mire secum pugnare omnino animadvertere videatur [1]).

Quae si recte disputavimus Plutarchum Xenophonte usum esse fonte primario eique addidisse ipsum quas res supra collegimus, minime veri simile est. Imo propter has ipsas res iam auctorem Plutarchi tali modo Xenophonteae narrationi aliena inseruisse concedendum erit. Quod enim c. 18 Xenophon ab ipso Plutarcho affertur, eo nequaquam refutari hanc sententiam apparet. Cum enim ille pugnae Coronensi ipse interfuisse non sine iure credatur, facile fieri potuit, ut, qui post eum res Graecas narraret, Xenophontem illius proeli testem locupletissimum laudaret.

Hunc autem, quem Plutarchus adhibuit rerum scriptorem non esse Theopompum, quamvis c. 10 laudetur, iam eo ipso modo mihi videtur probari, quo Plutarchus eum affert: »*ὡς εἴρηκέ που καὶ Θεόπομπος.*« Si enim attenderis ad verborum collocationem et illius *καί* rationem habueris, vix dubitabis, quin, cum Agesilaum summum virum esse secundum alium scriptorem diceret, Theopompum quoque alicubi meminerit tali modo de eo disseruisse. Sed maioris momenti est, quod in Corneli Nepotis Alcibiade examinando cum Theopompum viderimus id agere, ut a prioribus historicis differat, vix eum tantopere cum Xenophonte congruere putaveris. Iam cum duas res, quas Plutarchus addidisse

---

1) Xenophontis Agesilaum a Plutarcho non adhibitum esse nisi ubi eum diserte laudat, vel comparatis eis, quae de Agesilai ergo Megabatum amore tradunt Plut. Ag. c. 11 et Pseudo-Xenoph. Ages. 5 mihi videtur probari. Cum enim Plutarchus non solum meliorem eius rei exhibeat imaginem, sed etiam servet, quas Pseudo-Xenophon Atticis permutat formas Doricas, facilius Pseudo-Xenophontem e Plutarchi fontibus, quam Plutarchum e Pseudo-Xenophonte hausisse crediderim.

videtur, Ephoro vindicandas esse certo sciamus, vix temeritatis crimen subeamus, si eo biographum fonte primario usum esse contendamus. Quod autem hic *Ephorum vidimus magnas operis Xenophontei partes tantum non integras in suum usum convertisse, ut pauca aut adderet aut mutaret* id felicissime comprobatur si fr. 130 (Mülleri) apud Athen. 11 p. 500 B comparaveris cum Xen. h. G. III, 1, 8 (errare autem Athenaeum cum *σκύφον* exhibeat pro *Σίσυφον* recte vidit Dindorfius).

Ephorus apud Athenaeum	Xenophon
Λακεδαιμόνιοι ἀντὶ Θίβρωνος Δερκυλίδαν ἔπεμψαν εἰς τὴν Ἀσίαν, ἀκούοντες ὅτι πάντα πράττειν εἰώθασιν οἱ περὶ τὴν Ἀσίαν βάρβαροι μετὰ ἀπάτης καὶ δόλου. Διόπερ Δερκυλίδαν ἔπεμψαν νομίζοντες ἥκιστα ἐξαπατήσεσθαι. ἦν γὰρ οὐδὲν ἐν τῷ τρόπῳ Λακωνικὸν οὐδὲ ἁπλοῦν ἔχων, ἀλλὰ πολὺ τὸ θηριῶδες. Διὸ καὶ Σίσυφον αὐτὸν οἱ Λακεδαιμόνιοι προσηγόρευον	*Δερκυλίδας ἄρξων ἀφίκετο ἐπὶ τὸ στράτευμα, ἀνὴρ δοκῶν εἶναι μάλα μηχανητικός· καὶ ἐπεκαλεῖτο δὲ Σίσυφος*

Hic enim Ephorus, quae Xenophon magnifica quadam et Laconica brevitate comprehendit, eisdem artibus rhetoricis aut exsequitur aut potius extenuat atque occurrunt in eis Plutarchi partibus, quae maxime ad Xenophontis similitudinem accedunt. Quo fragmento nescio an hoc quoque concludi possit, Ephorum omnes Spartanorum contra Persas expeditiones e Xenophonte sumpsisse. Caeterum abrogatum in urbibus X virorum imperium, cum Plut. Ages. 6 de eo referat, Ephorum sicut Xenoph. h. G. III, 4, 2 paullo ante Persicum Agesilai bellum tractasse hic diserte commemorare non omittam (cf. p. 25.)

Sed nondum attigimus aliam rem, qua Ephorum a Plutarcho exscriptum esse vel atrocibus adversariis spero demonstratum iri. Pausanias enim III, c. 8 § 7 (Bekker) — c. 10 de Agesilao fere idem narrat atque Plutarchus, ut Hertzbergius eum quoque Xenophonte usum esse primario fonte statuat. Cum autem duorum scriptorum arte coniungendorum ne hic quidem Plutarcho peritior sit, maximi momenti est ad nostram sententiam confirmandam quod et

ipse non solum narrationi bene inseruit res aliunde petitas, sed saepius easdem inseruit ac Plutarchus. Quas et ipsas huc apponere lubet, partim ut ad ea, quae postea disputaturus sum viam mihi muniam, partim ut accuratius perspiciatur, quae Ephorus tradiderit. Ac primum quidem

c. 8 § 7—10 cum Leotychidem ab Agide morituro legitimum heredem agnitum esse fusius narret et verba oraculi afferat, eadem addit Xenophonti atque Plutarchus Ages. c. 3.

c. 9 § 1—5 Lacedaemonios a Lysandro doctos esse refert, non Artaxerxem, quem aggressurus esset Agesilaus, sed Cyrum potius eos adiuvisse in bello contra Athenienses gerendo. Deinde exercitum ab Agesilao comparatum esse narrat, neque cur sociorum bona pars, imprimis Corinthii, Thebani, Athenienses, quas imperaverit copias ei auxilio mittere recusaverint ullo modo reticet. Quod cum neque Xenophon commemoret et Plutarchus praetermittat, Xenophon autem nimio Spartanorum studio ad has sociorum inimicitias silentio tegendas adductus esse possit, ex hoc ipso Xenophontem adhibitum esse a Plutarcho quippe qui illorum celandorum nullam habeat aliam caussam, facile quispiam collegerit. Sed cum Xenophon similia tradat de exercitu ante pugnam Coronensem comparato quamvis tum quoque nonnulli socii Spartanos non adiuverint neque haec quidem inveniantur apud Plutarchum, inde nil effici apparet. Cum enim biographus semper ad res gravissimas properet enarrandas, facile fieri potuit, ut eadem omitteret atque alius rerum scriptor neque ad fontes eius indagandos talibus e rebus quidquam concludi potest.

§ 6 Pausanias pugnam narrat »*ἐν Ἑρμοῦ πεδίῳ*« commissam, quae dubitari non potest, quin ei respondeat, de qua Xen. h. G. III, 4, 20 et Plut. Ages. 10 referunt. Quod igitur Pausanias non solum equitatum Persarum, sed etiam maximum pedestrem exercitum ab Agesilao devictum esse dicit, id vereor ut minus ad fontium diversitatem, quam ad eius ipsius neglegentiam referendum sit. Quantas enim ineptias Pausanias interdum proferat, c. 10 § 1 vel leviter perlegenti docebit.

§ 8 Pausanias inter eos, qui a Tithrauste pecunia corrupti sunt Graecos passim alios affert ac Xen. h. G. III, 5, 1. Sic Cyloni Argivo adnumeratur Sodamas. Deinde cum Athenienses Persicae pecuniae non participes fuisse diserte testetur Xenophon (»*Ἀθηναῖοι δὲ καὶ οὐ μεταλαβόντες τούτου τοῦ ἀργυρίου ὅμως κτλ.*«) Pausanias Epicratem et Cephalum a Timocrate corruptos esse volt, denique pro Galaxidoro Thebano, quem exhibet Xenophon, Amphithemin affert. Atque hoc quidem ad nostram rem maximi est momenti. Cum enim Amphitheum, quem Plutarchus Lys. c. 27 habet eundem esse atque hunc Amphithemin nemo non intellexerit, unde Plutarchus c. 27 Lysandri hauserit iam hic cognoscimus. In eadem autem sectione Pausanias Phocenses cum Locris Amphissiis bellum gessisse dicit, cum Xenophon Opuntios nominet. Iam nisi Pausanias urbem diserte commemoraret, eum crederem Locros Ozolos permutasse Opuntiis, sed Amphissae nomine ad fontem a Xenophonte diversum nos delegari apparet.

§ 11 Athenienses narrat Pausanias ante bellum cum Thebanis exortum frustra petiisse a Lacedaemoniis, ut quae exprobrarent Thebanis, coram iudicibus disceptarent. Denique

§ 13 templum, quo confugerint hostes post pugnam Coronensem Minervae Itoniae fuisse eodem modo atque apud Plutarchum dicitur.

Sed verendum est ne omnia haec in cassum disputaverimus. Rich. Grosserus enim in Fleckeiseni annal. philol. 1867 vol 93 sectio I, p. 721 sq. »ex ampla argumentorum materie« quam virorum doctorum approbationi mox peculiari libello se venditaturum esse pollicetur, nonnulla affert ut, quae iam Campeus in conversa h. G. 1856, *Ἀριστείδης Κυπριανός: περὶ τῶν Ἑλληνικῶν τοῦ Ξενοφῶντος* 1858, Iungklausenius Progr. Meldorf. 1862, Dittrich-Fabricius in eodem annal. vol. suspicati sint, non integram nos habere Xenophontis historiam Graecam, sed ab epitomatore quodam mutilatam, novis documentis

confirmet. Sed cum illi viri docti ex ipso Xenophonte huius sententiae argumenta petere contenti sint, Grosserus in hoc non acquiescendum ratus imprimis Plutarchum, sed Lysiam quoque et Diodorum ad explendas historiae Graecae lacunas adhiberi posse existimat. Qualem autem a Xenophonte scriptam esse fingat historiam Graecam inde collegeris, quod non solum Agesilaum, apologiam Socratis, imo quae sub Xenophontis nomine feruntur de republica Lacedaemoniorum et Atheniensium disputationes ex integro Xenophontis opere desumptas esse sibi persuasit, verum etiam, quod Lacedaemoniis et imprimis Agesilao studuisse Xenophontem adhuc viri docti censuerunt, epitomatori tribuit.

Quam sententiam cum universam examinare non sit huius loci, tamen quatenus huc pertinet diligenter ponderemus oportet. Quod enim Grosserus Plutarcho ad explendas historiae Graecae lacunas utitur, eum illas vitarum parallelarum partes, quas Ephoro vindicavimus, ex integro opere Xenophonteo repetere apparet. Contra quam opinionem primum hoc commemoraverim, quod Asiaticas Agesilai expeditiones inter optimas esse historiae Graecae partes cum una est consentiens virorum doctorum vox tum ne Grosserus quidem p. 726 h. G. IV, 1, sq. »eius, qui Anabasin conscripserit non indigna esse« negavit. Quodsi Plutarchus in hac parte quaedam addit narrationi Xenophonteae, ea fuisse in integra historia Graeca iam a priori non est veri simile. Neque haec, quam inde cepimus suspitio accurate pensitatis rebus singulis removetur. Quod enim Ephoro Plutarchum usum esse inde collegimus, quod bis (Ages. 8 et 20) quae Xenophonti addere videtur, ad illum referri possunt, neque id apparet a Grossero in dubium vocari posse neque miram, quae intercedit inter Ephori fr. 130 et Xen. h. G. III, 1, 8 similitudinem. Praeterea epitomatorem bis omisisse facete dicta (Ages. 8 et 9), qua huiusmodi homines fere sunt consuetudine, vix tibi persuaseris. Sed omnium maxime hoc mihi videtur adversari Grossero, quod Plutarchus et Pausanias non addidisse quaedam Xenophonti contenti hic illic ab eo differunt. Pausaniam enim, quem hausisse ex eodem ac Plutarchum fonte non concedi nequeat, facere non poterit

Grosserus, quin et ipsum integro Xenophontis opere usum esse contendat. Iam vero si quis epitomatorem statuat Amphithemis loco posuisse Galaxidorum, Locros Amphissios scripsisse pro Opuntiis, Athenienses narrasse pecuniae Persicae non participes fuisse, cum Xenophon eos corruptos esse perhiberet, vereor, ut sententiam suam cuiquam probaturus sit.

Neque magis e Grosseri sententia explicatur cur Plutarchus Ages. 6, siquidem in manibus habuit Xenophontis historiam Graecam, tamen quomodo Agesilaus nuntio victoriae Corinthiae commotus sit secundum Pseudo-Xenophontis Agesilaum narrare maluerit, neque tamen hunc se anteponere historiae Graecae ullo verbo commemoraverit. Iam cum hae duae narrationes inter se conciliari prorsus nequeant, num probari possint, quae de Pseudo-Xenophontis Agesilao Grosserum coniecisse supra vidimus, valde dubium videtur. Quodsi haec laudatio e Xenophontis historia Graeca excerpta est, certe quin ei immistas esse putemus res aliunde collectas facere vix possumus. Talis autem si est eius conditio, num quid praeterea insit, quod a Xenophonte abhorreat, discernere uniuscuiusque libero arbitrio permissum est.

Quae difficultates cum omnes optime expediantur, si Xenophonte Ephorum, Ephoro autem Plutarchum usum esse statuamus, vereor ne Grosserus aperta, quae inter Plutarchi Agesilaum et Xenophontem intercedit similitudine deceptus nimiam historiae Graecae restituendae spem inde conceperit.

Neque enim mei inventi lenociniis eo adducor, ut eum toto caelo errasse contendam. Quamvis cavendum putem, ne tota operis Xenophontes indoles oblitteretur, tamen esse quaedam in eo lacunarum indicia lubenter concedo. Sic Grosserus suo iure, quae Xenophon in historia Graeca tradit de pugna Coronensi ex eiusdem Agesilao supplenda esse censet. Hic enim commemoratur, quod omisit librarius in historia Graeca caesos milites per noctem ab Agesilao in media phalange collocatos esse, neque quin Xenophon re vera hoc narraverit ullus dubito. Sed ipsa haec loca inter se comparata ne ultra finem modumque progrediamur in detegendis lacunis nobis suadent. Etenim ne in Agesilao quidem neque L nobilium adulescentium ulla inicitur mentio

nec templum illud iam saepius commemoratum Minervae Itoniae sacrum fuisse affertur. Quodsi haec quoque integro Xenophonti Grosserus volt vindicare — id quod ex eius universa sententia concluserim — excerptorem Agesilai eadem omisisse atque epitomatorem historiae Graecae quin statuat facere non poterit. Qualia si verisimilia esse putaverit ei legibus historici et philologici studii exempto Lysiam quoque et Diodorum ad supplendum Xenophontem adhibere sane licebit.

VI.

Quodsi a Grossero non labefactari possunt, quae de Ephoro a Plutarcho adhibito disseruimus, Lysandri c. 22—27 cum eadem contineant ac partes Agesilai supra examinatae ex Ephoro fluxisse demonstratum est: id quod etiam caussae ex ipsis illis capitibus petitae videntur comprobare. Quamvis enim Ephorus c. 25 demum laudatur tamen id propterea factum apparet, quod eum imprimis in itinere Lysandri enarrando a Theopompo differentem (cf. c. 20) Plutarchus voluit ostendere.

Aliter autem res se habet in narratiunculis illis, quae initio c. 22 inveniuntur. Quae cum vix conveniant cum eis, quae de Lysandri vita aliunde cognita habemus, permutasse Plutarchum quae ipse Lysander facete dixerit cum eis, quae alios Spartanorum duces protulisse legit, mihi videtur veri simillimum; unde autem hauserit has res, operae pretium non duxi inquirere, quippe quae neque cum antecendentibus neque cum sequentibus argumenti perpetuitate cohaereant.

Sed perspecta ratione, qua Ephorus Xenophonte usus sit, etiam longius licebit progredi. Ubicunque enim Plutarchus eodem modo atque in Agesilao et Xenophontis narrationem videtur pluribus verbis exsequi et ei inserere res aliunde petitas, vix temeritatis crimen incurremus, si non Xenophontem sed Ephorum ab eo exscriptum esse statuimus, licet id nullo diserto testimonio sicut in Agesilao confirmetur.

Hoc autem quadrat ad eam vitae partem quae pertinet inde a medio c. 9 usque ad medium c. 13 quamque ab Haugio et Hertzbergio Xenophonti vindicari nemo mirabitur.

Iam vero ut de prima quoque c. 9 parte statim hic disseram, quod ibi Cyrus ad patrem profecturus eadem se praestiturum esse promittit Lysandro, quae apud Xenophontem, cum primum ille classi praefectus est, Spartano pollicetur: »καταχορηγήσειν τὰ οἰκεῖα κτλ.« inde vix qualis Ephori fuerit narratio possit concludi. Cum enim Plutarchum verisimile sit c. 3—8 e memoria nec satis accurate Ephori historiam referre, c. 8 exemplum Lysandreae crudelitatis e Theopompo inserere, c. 9—13 paullatim propius accedit ad Ephori similitudinem, ut c. 9 afferre videatur, cuius antea oblitus erat, Cyri promissum. Ephorum enim ita narrasse, qui nescio an hic Xenophontem expresserit eo minus probabile est, quo magis Plutarchi relationem cum rerum natura pugnare apparet. Sed a Xenophonte aperte differt Plutarchus, quod Lysandrum ad oram Atticam advectum cum Agide congressum esse commemorat. Apud Xenophontem enim Lysander eodem tempore captis Cedreis Rhodum petit, dum Athenienses in agrum Chium et Ephesium invadunt, deinde oram maritimam legens in Hellespontum navigat, quo eum secuntur Athenienses, qui apud Plutarchum in Atticam ei profecturo insistunt.

Iam vero cum Diod. 13, 104 ubi eum Theopompo usum esse vidimus et ipse perstringat Lysandri in agrum Atticum expeditionem, Plutarchum suspiceris illa e Theopompo inseruisse, cum Ephorus nescio an hic quoque Xenophontem secutus sit. Quae non repugnant contra ea, quae disputantes de 15 Agesilai capitibus de Plutarchi consuetudine monuimus. Cum enim, quae illic e Xenophonte petiisse videtur tam accurate persequatur, ut illum in manibus non habuisse nequeat, hic sepositis scriptoribus, quatenus res singulas memoriae tenuit litteris mandavit. Cum igitur illic sit, cur aliena inseri miremur, hic facile fieri potuit, ut Plutarchus duas narrationes a se coniungi ne sciret quidem. Quodsi hic non talis invenitur rerum perturbatio, qualem deprehen-

dimus in c. 13—15 id propterea factum est, quod hic multo simplicior, quam illic est rerum gestarum cursus.

Propius autem ubi Plutarchus accedit ad fontem suum ita ut paene ipsa verba exscribat, h. e. fere a verbis: »καὶ τὸν Ἑλλήσποντον καταλαβὼν ἔρημον« prorsus eadem ei cum Xenophonte intercedit ratio, ac quam invenimus in XV illis Agesilai capitibus. Si enim discesseris a Theophrasto c. 13 laudato, ubicunque aliquid addere videtur Xenophonti, eius auctorem non affert.

Atque c. 9 quidem Philoclem narrat auctorem fuisse captivis pollicis praecidendi, quo remigare quidem possint, sed pilo uti nequeant. Quod enim Schneiderus ut Xenophontem cum Plutarcho conciliaret Xen. h. G. II, 1, 31 scribendum esse proposuit pro τὴν δεξιὰν χεῖρα: τὸν δεξιὸν ἀντίχειρα id duabus de caussis vix probaveris 1) quod si eum illic sequeremur, etiam § 32 legendum esset pro περὶ τῆς ἀποτομῆς τῶν χειρῶν: τῶν ἀντιχείρων· 2) quod, si Xenophon ita narrasset, caussam quoque tam saevi consilii additurus erat, sicut fecit Plutarchus.

c. 10—11 in pugna apud Aegos flumen commissa simillima est narratio Xenophonti (h. G. II, 1, 21 sq.) nisi quod etiam hic res quaedam additae sunt.

Sic Plutarchus Lysandrum narrat, cum primo die navium aciem disponeret neque tamen pugnaturus esset ὑπηρετικά misisse ad naves hosti proximas, quae illas locum tenere iuberent; tum, eum misisse duas vel tres naves speculatorias (apud Xenophontem tantummodo »τὰς ταχίστας τῶν νεῶν«) quae Athenienses ad terram appulsos observarent, deinde, proditionis suspectos fuisse Alcibiadi, cum ab eis discederet, Atheniensium duces. Porro quomodo Lysander ante ipsam pugnam singulos milites adhortatus sit, exsequitur imprimis autem tria milia Atheniensium a Lacedaemoniis capta esse refert, quem numerum Xenophon prorsus omittit. Praeterea cum Plutarchus hic fontem suum ad verbum exscripserit, nec hoc quidem nullius momenti mihi videtur, quod Plutarchus paullo ante ipsam pugnam, quantum distet Aegos flumen a Lampsaco affert, Xenophon statim initio totius narrationis. Quae

c. 12 proferuntur philosophicae quaestiones nescio an ab ipso Plutarcho profectae sint.

c. 13 biographus accuratius tradit captivos a συνέδροις damnatos esse, cum Xenophon συμμάχους tantum afferat Mortem autem Philoclis secundum Theophrastum fusius describi supra monui.

Sed hic quoque locum quendam Pausaniae IX, 32 § 6 sq. auxilio vocare possumus. Eum autem illic Ephoro usum esse fonte iam inde apparet, quod propter potestatem urbium X viris delegatam acerbe vituperatur Lysander eoque in maximum odium Graeciae Lacedaemonii pervenisse dicuntur:

Pausanias.	Nepos Lys. 1 (cf. p.25.)
Μείζονα δ' ἔτι Λακεδαιμονίοις ὀνείδη γενέσθαι παρεσκεύασεν ὁ Λύσανδρος ἐπί τε δεκαδαρχίαις, ἃς κατέστησε ταῖς πόλεσι καὶ ἐπὶ τοῖς Λάκωσιν ἁρμοσταῖς.	Sic sibi indulsit, ut eius opera in maximum odium Graeciae Lacedaemonii pervenerint.

Porro, quod Pausanias Eteonicum harmostam Spartanum in Autolycum acriter animadvertisse tradit, id adeo convenit cum eis, quae Plut. Lys. 15 ex Ephoro (cf. p. 32) refert de Callibio, ut Pausaniam illa nomina permutasse veri simillimum sit. Iam vero Pausanias quoque captivorum numerum exhibet, quorum quod quattuor milia fuisse pro tribus milibus dicit, nescio an eorum, quae apud Ephorum legit, non recte meminerit. Errat enim in navium quoque Atheniensium numero centenarium eum referens, cum non solum Plutarchus verum etiam Xenophon centum octoginta habeant. Quod autem Pausanias hic captivos caesos a Lysandro ne humatos quidem esse narrat — id quod et Xenophon et Plutarchus omittunt, vereor, ut ad Xenophontem a biographo adhibitum referri possit. Cum enim Plutarchum constet semper optima quaeque imputare viris suis illustribus, facile fieri potuit, ut hanc rem incredibilem esse ratus sponte omitteret. Quodsi nihilominus interdum in Lysandrum invehitur id inde explicatur, quod eum in fontibus suis vituperatum invenit neque tamen Theopompo

eius laudatori ita se addixit, ut Lysandrum ab Ephori criminibus ubique via et ratione absolveret. Caeterum valde dolendum est breviorem esse Pausaniae narrationem, quam ut inde certi quidquam colligi possit, commemorasse igitur sufficiat omnia quae tradit Pausanias de pugna apud Aegos flumen commissa prorsus convenire cum Plutarcho.

Sed hic quoque G r o s s e r u s Xenophontis lacunas e Plutarcho supplendas esse contendit l. l. p. 729, cum autem ea, quae affert, non ad rerum diversitatem, sed ad scribendi genus pertineant, neque ego propter id ipsum quidquam eorum ad Ephoream Plutarchi originem demonstrandam supra commemoravi, ea hic enumerare supersedeo. Ac profecto eis nequaquam Xenophontem ipsum a Plutarcho exscriptum esse evincitur. Qui enim fieri potuerit, ut epitomator, ubi Xenophon duas vel tres naves speculatorias exhibuit, omissis his numeris »*τὰς ταχίστας τῶν νεῶν*« scriberet, ut praeterea captivorum fuisse tria milia e Xenophonte adsciscere recusaret, nullo modo intellegitur, quare ne Grosserus quidem — si ex eius silentio concludere licet — hunc numerum Xenophonti restituere ausus est. Porro autem epitomatorem neque quantum distet Aegos flumen a Lampsaco, alio loco inserendum censuisse ac Xenophontem ullo modo veri simile est, neque bis eum pro pollicibus scripsisse manus existimaverim.

Quodsi quid probari potest in Grosseri emendationibus, id inde explicatur, quod Ephorus hic, ut ita dicam, auctiorem et emendatiorem edit Xenophontem, Ephorum autem paene ad verbum exscripsit Plutarchus. Quamvis igitur inde corrigi posse Xenophontem non omnino negaverim, tamen quam maxime caveamus oportet, si talem emendandi viam ingrediamur. Itaque cur Xenophontem potius, quam Ephorum a Plutarcho adhibitum esse putem, ne hic quidem ullam video caussam.

P a u l l o a l i t e r r e s c o m p a r a t a e s t i n c. 3—7. Hic enim Plutarchus non cogitandus est e scriptore aliquo quem in manibus habuerit, ea excerpsisse, quae ad Lysandrum pertineant cum plurima eiusmodi omittat, sed eum apparet fonte seposito, quae memoria tenuit, litteris mandasse. Sed

hic quoque ab eis proficisci, quae Plutarchus Xenophonti addidisse videatur, non abs re erit, cum hoc illum usum esse suspicetur Haugius.

c. 3 igitur, si discesseris a Lysandri adventu, prorsus nova traduntur.

c. 4 quae Cyrus cum Lysandro egerit eodem modo narrantur a Xen. h. G. I, 5, 1—8 nisi quod Plutarchus Spartanum decem milia Dareorum a Persa accepisse dicit, quibus militum suorum stipendium uno obolo augeret. Porro Plutarchus in fine capitis pluribus verbis exsequitur, quae Xenophon in oratione legatorum significasse satis habet, classiarios Athenienses magnitudine Spartani stipendi adductos ad hostes transfugisse.

c. 5 pugna navalis ad Notium commissa respondet Xen. h. G. I, 5, 11—18 neque tamen non afferenda videntur, quae Plutarchus de Antiochi iactatione dicit: »*γέλωτι καὶ πατάγῳ χρώμενος σοβαρῶς παρήλαυνεν*« cum ea (Xenophonti non memorata) prorsus conveniant cum Ephorea Pausaniae (IX, 32) narratione: »*ἀναγαγόμενοι ὑπὸ θράσους καὶ ἀλαζονείας.*« E Diod. 13, 71 et 73 Theopompum apparet et pugnam diverso modo descripsisse et ab Atheniensibus rettulisse Alcibiadi hoc quoque exprobratum, quod tam crudeliter in Cumanos saeviisset. Quae secuntur de constitutis sodalitiis et Callicratidae moribus, ea Xenophonti addit Plutarchus.

c. 6 Lysander cum Callicratidae classis imperium tradat, eodem modo gloriatur atque apud Xen. h. G. I, 6, 2, in eis autem quae Callicratidae Cyrum adituro acciderint, eadem Plutarcho cum Xenophonte intercedit ratio ac quam saepius iam animadvertimus. Apud Xenophontem enim (h. G. I, 6, 6—8) cum biduum exspectare iussus sit, donec ei cum Cyro colloquendi copia detur, Callicratidas Persae superbia iratus statim ad exercitum suum revertitur, apud Plutarchum autem non solum, quae Cyrus ei repudiando praetenderit commemorantur, sed Callicratidas re vera exspectat, donec iterum repulsam tulerit. Praeterea Lysandrum, cum a classe avocaretur, reddidisse Cyro pecuniam, ut Callicratidam in angustias adduceret, Plutarchus diserte

testatur, Xenophon significat in oratione quadam Callicratidae.

c. 7 neque cum Lysandro comparatus Callicratidas neque Lysandri de pelle leonina facetiae apud Xenophontem inveniuntur.

c. 8 ut de eo hic statim disputem, dubitari non potest quin Plutarchus facetiis, quas modo commemoravi adductus, aliunde narrationi inseruerit. Cuius sententiae documenta cum posita sunt in indole verborum, quibus narratiunculam inducit: »*τοιαῦτα δὲ αὐτοῦ καὶ τὰ περὶ Μίλητον ἱστόρηται*« tum in eo, quod eadem res c. 19 repetitur, ut hoc crudelitatis exemplum Plutarchi animo penitus infixum haesisse appareat. Quam narratiunculam e Theopompo fluxisse et quo pertineat, intellegitur e Diod. 13, 104.

Iam vero nisi comparatis Xenophonte et Diodoro Plutarchum c. 3—7 res gestas leviter perstringere potius, quam accurate enarrare appareret — id quod in XV Lysandri capitibus eum fecisse vidimus — ne hic quidem ex eis quae biographus addit, eadem atque illic concludere dubitarem. Sed cum hic Plutarchum singulas res, quatenus memoria tenuit, litteris perscripsisse ob ipsam illam indiligentiam sit probabile, facile fieri potuit, ut etiam e Theopompo quaedam insereret, quamvis eum nequaquam ubique adhibitum esse passim certis argumentis demonstraverimus. Neque eius rei desunt indicia. Iam c. 3 si comparaveris verba »*ὡς ἡγεμόνος τε δεινοῦ καὶ παρασκευῆς ἐῤῥωμενεστέρας δεόμενον ἐκπέμπουσι . . Λύσανδρον*« cum Diod. 13, 70 »*ἀλλὰ ναύαρχον εἵλοντο Λύσανδρον δοκοῦντα στρατηγίᾳ διαφέρειν τῶν ἄλλων καὶ τόλμαν ἔμπρακτον ἔχοντα πρὸς πᾶσαν περίστασιν*« et omnino laudari Lysandrum observaveris, Theopompum Plutarcho ante oculos versatum esse suspiceris. Porro sibi respondent:

c. 4 *τὸ μειράκιον ἐπέῤῥωσε πρὸς τὸν πόλεμον.*	Diod. ib. *παροξύνας τὸν νεανίσκον εἰς τὸν κατὰ τῶν Ἀθηναίων πόλεμον.*

Praeterea Diodorus quoque affert illa tria milia Dareorum. c. 5 quod sodalitates a Lysandro dicuntur institutae, idem legitur apud Diodorum in fine c. 70, nisi quod Plutarchus

alio loco, h. e. post pugnam ad Notium commissam rem commemorat. Caeterum cum Ephorum de hac re nihil tradidisse vix tibi persuaseris, certi quidquam inde non collegeris. Maioris autem momenti est, quod Callicratidae mores simili modo ab utroque adumbrantur.

Plut. l. l.	Diod. 13, 76
ἀνὴρ ἐφαίνετο ἄριστος καὶ δικαιότατος, ἠρέσκοντο δὲ τῷ τρόπῳ τῆς ἡγεμονίας ἁπλοῦν τι καὶ Δώριον ἐχούσης καὶ ἀληθινόν.	*νέος μὲν ἦν παντελῶς ἄκακος δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἁπλοῦς, οὔπω τῶν ξενικῶν ἠθῶν πεπειραμένος, δικαιότατος δὲ Σπαρτιατῶν.*

Itaque cum c. 3—7 et universa Xenophonti sint simillima, quo Ephorum usum esse probabile est, et Ephori adhibiti certa deprehendimus indicia, a *Plutarcho praecipue Ephori narrationem expressam esse puto ita tamen, ut e Theopompo* antea illo quidem perlecto *nonnulla eum inseruisse concedam.*

In ultima vitae Lysandri parte (c. 27—30) cum et initio c. 27 nomine Amphithei servatum esse Ephoreae originis indicium supra viderimus et c. 30 Ephorus diserte laudetur, iam propter id ipsum Plutarchum hac in parte omnino Ephorum secutum esse suspiceris. Quod argumentum confirmatur si comparamus, quae Paus. III, 5 § 3 sq., cum in vita Agesilai eo deleget legentes, nescio an et ipsa ex Ephoro hauserit. Uterque enim pariter tradit — id quod omittit Xenophon — Pausaniam exercitu in Boeotiam ingressum, ut mortuum Lysandri corpus hostibus eriperet, cum Thrasybulum copiis Atheniensibus a Thebis contra se profectum cognosceret, eo permotum esse, ut ad Lysandrum inhumandum indutias peteret. Sed etiam Diodorum 14, 81 ad sententiam nostram comprobandam auxilio vocare licet, quamvis ille fontem suum maximopere contraxisse censendus sit. Eum enim Ephoro usum esse his de caussis mihi probatur. Cum supra Plutarchum in vita Agesilai Persicas regis expeditiones ex Ephoro repetiisse demonstraverimus, Diod. 14, 79—80 de eisdem rebus prorsus

diversa narrantem Ephori vestigia non pressisse apparet. Atqui neque cum Xenophonte convenit, eum hic Theopompi partibus se addixisse probabilis est coniectura. Quodsi Diodorus c. 81 subito transit ad pugnam Haliartiam neque quo nexu, ut ita dicam caussali illa coniuncta sit cum Tithrauste Tissaphernis loco Asiae praeposito commemoret, mihi haec narrationis lacuna facillime videtur illustrari, si Diodorum inde a c. 81 mutatis fontibus Ephorum secutum esse statuimus. Haec autem si recte disputavimus, Diodorum duabus in rebus conspirantem cum Plutarcho invenimus 1) Pausanias post Lysandrum demum in Boeotiam mittitur (Diod. »*τὸ μὲν πρῶτον ἀπέστειλαν Λύσανδρον . . . μετὰ δὲ ταῦτα Παυσανίας . . . ἐξεπέμφθη*« Plut. »*Ὕστερον δὲ καὶ Παυσανίαν . . . ἀπέστειλαν*). Quare apud Diodorum quoque veri simile est conveniendi diem ab imperatoribus in ipsa expeditione constitutam esse. Contra Xenoph. h. G. III, 5, 6 utrumque eodem tempore Sparta profectum illam diem domi iam constituisse tradit; 2) inopportuna illa loca, quo incurrunt Boeoti Spartanis post pugnam acrius instantes a Plutarcho dicuntur *τραχέα καὶ καρτερά* a Diodoro *τραχεῖς τόποι*. Fieri autem non potuisse, quin uterque hoc vocabulum eligeret, nos existimare vetat Xenophon III, 5, 20, qui eandem rem significet verbis *δυςχωρία καὶ στενοπορία*. Quod Plutarchus CCC, Diodorus CC Boeotos caesos esse narrat, id, cum iusto neglegentior sit hac in parte Diodorus, vix ad fontium diversitatem referri possit. Imo Theopompus c. 30 ita mihi videtur laudari, ut universam narrationem ex eo non hausisse Plutarchum appareat. Theopompum enim minime veri simile est Lysandri laudem eo loco, quo fecit Plutarchus narrationi inseruisse: Lacedaemonii non propterea animadverterunt in Pausaniam, quod eius culpa patriae ereptus esset tam prudens fortisque civis, sed propter id unum, quod indutiis petitis Spartanos ignominia affecisse visus est. Quodsi Plutarchus Lysandri laudem a Theopompo repetitam tam arte coniungit cum Pausania punito, non historici, sed biographi manum mihi agnoscere videor. Neque quod c. 27 maxime accedit ad Xenophontis verisimilitudinem propter eam, quam inter hunc et Ephorum intercedere vidimus rationem mihi nullius videtur momenti ad comprobandam nostram sententiam. Ac ne hic quidem desiderantur, quae Ephorus Xenophonti (h. G. III, 5, 3) addiderit. Ille enim, cum neque decretum illud habeat Laconicum, quo exules Athenienses recipere socii vetiti sunt neque quae Thebanus populus Spartanis adversatus ad servandos exules scivit, nescio an tacendo Lacedaemonios illo crudelitatis crimine absolvere conatus sit.

Iam pauca restant capita, quae unde fluxerint, nondum inquisivimus. Ac primum quidem c. 16—17 de Gylippo et aliena pecunia Spartam invecta num Theopompum an Ephorum praecipue secutus sit Plutarchus, vix discernere ausus sim. Cum enim de aliena pecunia utrumque rettulisse c. 17 ipse testetur nescio an Gylippi quoque furtum Ephorus memoriae tradiderit — id quod Theopompum fecisse videmus e Diod. 13, 106.

c. 18 Plutarchus ipse Anaxandridam laudat et Duridem, cui eum accepta referre, quae usque ad finem capitis de honoribus Lysandro ubique habitis fusius exponit, probabilis est Mülleri (fr. h. G. II, 485) coniectura.

c. 1—2 non dubito, quin ab ipso Pluatrchi ingenio profecta sint, certe eum ipsum hic coniunxisse, quae e variis scriptoribus memoria tenuit verisimile est.

Iam cum ad finem commentationis perventum sit hic colligere lubet, quae de singulorum huius vitae capitum fontibus mihi eruisse visus sum. Uncis autem inclusi eos scriptores, quibus Plutarchus non universam debet narrationem, sed dictum aliquod vel factum ei insertum (cf. p. 4).

c. 1—2: Plutarchus.

c. 3—7: Ephorus (immixtae sunt res quaedam, quae Theopompum redoleant).

c. 8: (Theopompus et Androclides).

c. 9 I pars: Ephorus et Theopompus.

c. 9 II pars — c. 13: Ephorus (c. 13 Theophrastus et Theopompus comicus).

c. 14—15 ἔνιοι δέ φασιν: Theopompus.
c. 15 inde a verbis ἔνιοι δέ φασιν: Ephorus.
c. 16—17 num Ephoro an Theopompo vindicanda sint, non liquet.
c. 18 (Anaxandridas et Duris).
c. 19—21 Theopompus.
c. 22 — Ἐπεὶ δὲ Ἆγις (apophthegmata).
c. 22 inde verbis Ἐπεὶ δὲ Ἆγις usque ad finem: Ephorus (c. 30 Theopompus).

Hermannus Stedefeldt de vita sua.

Natus sum Langensalzae, die XIV Aug. anni h. s. XLIV matre Mathildi e gente Zufehr, patre Augusto, quem ante hos IX annos praematura morte mihi ereptum esse maximopere doleo. Artibus liberalibus instructus sum in schola regia Portensi ibique Peter, Koberstein, Steinhart, Keil, Corssen praecipue artium amorem in me excitarunt. Ineunte anno h. s. LXIII cum adiissem academiam Halensem ibidem ab auctumno per annum militari officio satisfeci. Audii per hoc tempus Bergkium, Bernhardyum, Eisenhartum, Erdmannum, Schallerum, Witteum. Deinde civibus adscriptum academicis universitatis Fridericiae Guilelmiae Rhenanae me docuerunt Bernays, Delius, Gildemeister, Iahn, Knoodt, Maurenbrecher, de Noorden, Ritschl, Schaefer, Simrock, Springer, de Sybel, Usener. Praeterea ut per ter senos menses philologici seminari sodalis essem ordinarius Iahn et Ritschl, ut historici seminari sodalibus adscriberer, Kampschulte, Schaefer, de Sybel benignissime permiserunt. Singulari autem Bernaysi erga me voluntate factum est, ut eius exercitationibus interessem Aristoteleis, Iahni ut archaeologici seminari sodalis essem ordinarius. Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas, imprimis autem Bernays, Iahn, Ritschl, Schaefer pio gratoque animo semper mihi colendi erunt.

Caeterum per totum hoc tempus, quod Bonnae degere constitui, litterarum studio in dies mihi iucundiori vacare non licuit. Cum enim per ter senos menses hic commoratus essem, ineunte anno h. s. LXVI iterum ad arma vocatus duce Herwartho pugnis ad Hühnerwasser, Münchengrätz, Königgrätz commissis interfui eisque ad patriam ab aliena dominatione liberandam me quoque contulisse glorior.

Sententiae controversae.

1. Livius IX, c. 21 et 22 (annis a. u. c. 438 et 439) easdem res bis narrat.
2. Diod. XIX, 72 anno a. u. c. 439 comprehendit, quae in eius fonte in annos 438 et 439 distributa erant. Incipit autem annus 439 fere a verbis: »ἃ δὴ πυθόμενος κτλ.«
3. Palaepolis inter Neapolim et Nolam sita erat.
4. Hannibal P. Corn. Scipionem non ad Ticinum, sed ad Padum proelio equestri fudit; deinde eum usque ad Ticinum, non usque ad Padum persecutus est.
5. Hannibal in sinistra Trebiae ripa cum Romanis pugnavit.
6. Diodorus in expeditione Cyri narranda (XIV, 19—31) Ephorum expressit, Ephorus autem, dum Graeci Carduchorum montes intrarent Ctesia (Diod. XIV, 28), deinde Xenophonte usus est.
7. Xenoph. Conv. 2 § 26 inter *οἴνου* et *μεθύειν* verba *πρὸς τό* inserenda sunt.
8. Ib. 4 § 56 verba: *»ὡς δ' ἅπαξ — ἀπεκρίναντο«*, § 59 *»ἐνταῦθα μέντοι — εἶπον«* et *»οἱ δέ«*, § 60 *»ὁ δ' εἰπὼν — ἔφη«* delenda sunt.
9. Eurip. Iph. Taur. v. 40—41 interpolatori tribuo.
10. Gerhard, auserl. Vasenb. II, 117, 118 Deïaniram non cum Nesso sed cum Eurytione (cf. Hygin. fab. 31 et 33) repraesentatam esse existimo.